DE ORTV VITA ET MORTE
MATTHIÆ DE BVZE-NIN PSTROKONSKI, PRIMVM PRÆMISLIENSIS.

Deinde

REGNI SVPREMI

CANCELLARIJ ET E-PISCOPI VLADI-SLAVIENSIS.



VARSAVIÆ,

In Officina Joannis Rossowski S. R. M. Typographi. Anno Domini, 1630.

STANISLAVS LVBIENSKI ABBAS TINECENSIS REGIÆ MAIESTATIS SECRETARIVS.

IACOBO ZADZIK, Secretario Regni Maiori Salutem & Felicitatem.

NON est opus, Vir Amplissime, multis vt verbis tibi explicem, quantum ego Matthiæ Pstroconio Episcopo Vladislauiensi debeam. Et si enim tua ætas non attigit ea tempora, quibus ego pene puer ab illo e scholis euocatus, sub disciplina eius adoleui; sed vel ex illo ipso, nihil enim vnquam ille te celauit, vel ex me, cum olim in eodem contubernio versaremur, discere potuisti, me fratresque meos creuisse fauore ipsius. Agnosco ego id libenter, & quo ad viuam semper præ me feram, me illi secundum Deum omnia debere. Ingratus essem si aliter sentirem, ille enim me accitum ad se, admouit statim grauioribus curis, exercendæ industriæ præbuit materiam, iis qui tum summæ rei præerant, & quod caput est, SERENISS. REGI NOSTRO monstrauit, & commendauit, effecitque vt eo etiam vita functo alii de me non male sentirent. Totum istud fluxit ex fonte beneuolentiæ ipsius. Vixi ego apud eum viginti prope annis dictorum factorumque eius conscius, in quibus cum summum virtutis & pietatis studium enitere animaduerterem, non in

Pstroconium modo ingratus essem, sed in publica etiam peccarem commoda, si ea reticerem quæ breui hoc scripto comprehensa ad te mitto. Agnosces imaginem notæ tibi virtutis, agnosces exemplar religiosi Sacerdotis, boni Episcopi, prudentis Senatoris, si modo nos ea ita vt erant delineare potuimus, voluimus quidem, ac vt hæc narratio luculentior esset, quædam etiam interseruimus, quæ ad pernoscendas res superioribus annis actas pertinebant, in quibus describendis nonnihil nos operæ ponere non te latet. Cui enim nos & nostra libentius communicemus quam ei, quem licet virtutis comes felicitas supra nos extulit, & maioribus auxit honoribus, quasi tamen vnus ex nobis esses, submittis fasces dignitatis tuæ, quotiescunque te adire volumus humanissime excipis, complexu foues. Creuisti & tu, nec enim diffiteris, ex fonte disciplinæ Pstroconianæ, admiratus es virtutem viuentis, leges vt opinor non illibenter quæ nos de illo iam vita functo scripsimus. Vera autem nos scripsisse tu testis es luculentissimus, tu idem & nos & Pstroconium tueberis contra inuidiæ morsus, quanquam hæc necquiquam mortuum arroserit, in quem nihil iam iuris habet. Virtus eius viuit & florescet seclis innumerabilibus. Precor Deum, vt amplitudinem tuam maioribus augeat incrementis, teque Ecclesiæ Dei Reipublicæ & nobis amicis tuis diu seruet incolumem. In Coenobio Tinecensi Calendis Iunii. Anno Domini, MDC. XXII.

MATTHIÆ DE BVZENIN PSTROKONSKI EPISCOPI CVIAVIENSIS ET POMERANIÆ.

QVI primus in Polonia familiam, quæ Rosam gentilicij decoris insigne gerit, propagauerit, Poraius Diui Adalberti Bohemi, à quo septentrionales istæ regiones fidei Christianæ rudimentis imbutæ sunt, frater fuisse perhibetur, cùm enim Sanctissimus ille Antistes illustri in Bohemia familia ortus, & ob virtutes pietatemque Pragensis Ecclesiæ Episcopali dignitate ornatus, gentis eius maximis iniurijs, quæ eò grauiores erant, quò magis actiones populi pietatis Christianæ minimè capacis, legi Diuinæ & Sacrosanctis Ecclesiæ institutis aduersabantur, permotus, ingratam patriam & Episcopalem sedem relinquens ad exteras regiones proferendæ & augendæ Diuinæ gloriæ causa se contulisset; vlturi hanc contumeliam Bohemi, odio non magis in virum sanctum, quàm in religionem ipsam concepto, tres fratres eius interemerunt, totum cum stirpe deleturi genus, ni quartus Poraius nomine, præsentis mortis periculum euitans in Poloniam effugisset. Is siue Principum Poloniæ, apud quos Diui Adalberti & nomen dum viueret, & memoria, posteaquam fuso pro Christo sanguine, ad cælestem patriam migrasset

148. Gentilitij Rosarũ in Polonia stemmatis origo. Poraius S. Adalberti frater gentis princeps.

grasset, clara & accepta erat, indulgentiâ, siue quod magis existimandum est, Dei singulari gratia incrementis eius fauente, non multo tempore in tantum
149. Rosarum gentis per diuersas familias propagatio.
creuit, vt posteri ipsius & opibus, & dignitate, ceteris, quæ vnquam in Polonia claræ & illustres fuerunt, familijs pares essent: sed cùm ex hac stirpe nati surculi in diuersis Regni partibus nouas deinde sub alijs nominibus familias produxissent, gentiliciaque Rosarum signa diuersis ex causis immutassent, Buzeniorum domus à primo originis initio in Siradiensi Territorio sedem fixit, vbi Buzeninum oppidum ab eiusdem nominis non ignobili in Bohemia loco mutuato vocabulo à Poraio conditum, à quo Buzeniorum etiam familia appellationem sortita est, antiqua gentis primordia ostendit; cuius
Ab eadem stirpe profecta Buzeniorũ domus vetustissima.
150. Rosarum Gentis viri illustres.
Boleslao qui rebus fortiter in bello gestis Audacis nomẽ sibi peperit regnante, annales nostros euoluẽti non ignota est memoria. Posteriori verò tempore ferax virtutum & magnorum virorum illa propago ita adoleuit, vt & in toga & in bello singulari laudis & gloriæ, incremento enituerit; proximo quidem superiori seculo Ioannes Grusczinius Archiepiscopus Gnesnensis, & Creslaus Curosuanscius Episcopus Vladislauiensis, vterque Rosarum domo orti, & Buzeniorum cognati, vetusti nominis splendorem recentibus auxere titulis; Grusczinius eò felicius, quòd Andream cognomento Rozam de Boriszeuice (vicus is ditionis Buzeniorum nostra memoria fuit) successorem in Archiepiscopatu
Ioannes Grusczinius Archiepiscopus Gnesnensis
Creslaus Curosuanscius Episc. Vladislau.
Andreas de Boriszeuice Archiepisc. Gnesnensis.

Gnesnẽ-

Gnesnensi sua promotione potissimùm ad eum dignitatis gradum euectum reliquerit. Curosuanscius verò Ioannem Lascum gente Corabitam Roseæ familiæ consanguineum virum omni memoria dignum ad simile fastigium protulerit, qui à Creslao quidem educatus, atq; publicis Regni Magistratibus gerendis admotus, ab Andrea verò Roza Archiepiscopo adoptatus, vtrique & Creslao & Andreæ fixis eorum memoriæ post mortem monumentis gratiam retulit. Creslao quidem in Ecclesia Vladislauien. his in marmore, ex quibus grati animi significationem quiuis facile elicere potest sculptis verbis: Creslao de Curosuanki Episcopo Vladislauiensi, Ioannes de Lasko Archiepiscopus Gnesnensis cliens Patrono. Andreæ verò in Gnesnen. Ecclesia monumentum erexit, his inter alia additis. Adoptionis memor totam deniq; Buzeniorum cōplexus suo patrocinio familiam, à qua proximè tantis auctus erat beneficijs. Spithconem quidem de Buzenin magnum proximè defuncti Matthiæ Episcopi, cuius memoriam prodimus, patruum Sacerdotio & Canonicatu Gnesnen. insigniuit, cæteros verò suo fauore ad ampliores fortunas prouexit, è quibus Hieronymus de Buzenin Supremus Regni Thesaurarius vir, vt Velleij vtar verbis, in tantum laudandus in quantum virtus intelligi potest, Sigismundi Augusti Regis gratia mulum floruit, frater verò ipsius Petrus Iudex Siradiensis Terræ, quamuis infra Senatoriam dignitatem constitisset, non mino-

Ioan. Lascus Korabita in eandem familiã adoptatus.

In suos adoptatores quam gratus.

151.

Spithco de Buzenin Can. Gnesnen. Matthiæ Pstrokonij patruus.

Hieronymus de Buzenin supremus Regni Thesaurarius.

minore tamen virtutis, & probitatis opinione apud omnes fuit, vterque quidem infelici quodam æui illius fato relicta Ecclesia Catholica ad Lutheri dogma desciuerat, quo fortasse factum est vt Thesaurarij mascula soboles in filijs eius extincta sit, Petri verò cùm is filios duos reliquisset, alter quidem eorum Ioannes Capitaneus Ostrzesouiensis magnæ expectationis iuuenis, & REGI Stephano acceptissimus, in ipso orientis fortunæ cursu immatura morte interceptus, magno cùm omnium, tum Regis ipsius dolore, cælebs ad huc in viuis esse desijt. Hieronymus proximè Siradiensis Castellanus doctrina, pietate, Catholicæ religionis professione, commendatus, animo liberali & excelso, dignus maioribus suis, qui relictis quatuor filijs, qui etiam nunc superstites sunt, ne nomen Buzeniorum interiret effecit. Sed nos his prætermissis ad nostra veniamus. Ioannes de Buzenin, qui primus quod in diuisione paternæ hæreditatis villa Pstrokonie trium fluuiorum, Vartæ nimirum Grabicæ, & Vidauiæ concursu nobilis, cum adiacentibus prædijs ei cessisset, Pstroconius appellatus est, susceptis duobus filijs, bello, quod Casimirus Iagelloniades coniunctis cum Vladislao filio Bohemorum Rege, ad Vratislauiam copijs, contra Matthiam Regem Hungariæ, non multum prosperis auspicijs gessit, dum acriùs quàm cautiùs murum subit, occisus, quam naturæ debebat REGI & Patriæ gloriosè vitā impendit, vxore vidua & impuberibus liberis relictis, è quibus Zbigneus

Petrus de Buzenin Terræ Siradien. Iudex.

Ioan. de Buzenin Capit. Ostrzesżouiensis.

Hieronimus de Buzenin Castell. Siradien.

152.

In Buzeniorum Gentem quis prior Pstrokoniorum appellatione intulit

Ioannis de Buzenin Pstrokonski pro patria res fortiter gestæ.

Eius mors gloriosa &

sacris

ſacris initiatus vt ſupra memoraui Canonicus Gneſnen. fuit, alter Matthias, cùm ad maturiorem ætatem perueniſſet, meritis aliquot annorum ſtipendijs Margaritam Tarnouiam cum dotalibus prædijs in Cuiauien. Terra, vxorem duxit (cuius altera ſoror Sieracouio, ex qua Ioannes Palatinus Lancicien. ſui temporis Senatorij Ordinis Princeps, qui omnia ſua incrementa ſibi debuit, natus eſt, nupta fuit) fœminam matronali pudicitia, & ſingulari quodã pietatis ſtudio præſtantem, quæ marito tres filios Zbigneum, Ioannem, & Iacobum, aliquot item filias, è quibus vna Agnes auia mea materna fuit, enixa, mox vidua reliquum ætatis tempus religioſiſſimè tranſegit, è filijs Ioannes Caſtellanus Conarienſis in Cuiauia ſingulari prudentiæ & integritatis laude floruit. Iacobus iuris patrij intelligentiſſimus maturitate quadam iudicij ita excelluit, vt eo nomine à cunctis magni æſtimaretur, multique è proceribus illius potiſſimùm conſilijs niterentur. Zbigneus natu maior, animi & corporis dotibus inſignis, cum primis annis militiæ deditus, & in patria & apud exteras nationes, in Hungaricis expeditionibus multis emeritis ſtipendijs, non exiguam bellicæ laudis gloriam ſibi paraſſet, demùm ducta vxore Barbara de Gaiewniki, Ioannis Lubranſcij Epiſcopi Poſnanienſis, notæ ſanctitatis Antiſtitis, ex ſorore nepte, omnibus ijs quæ caſtam, piam pudicamq; decent mulierem dotibus ornata, duos filios ſuſtulit Matthiam & Ioannem, quorum

poſteritas, Matthias & Zbigneus.

Matthiæ ex Margarita Tarnouia ſuſcepti filij.

Ioannes Caſtellanus Conarienſis.

Iacobus

153.

& Zbigneus cũ Barbara de Gaiewniki Matthiæ Pſtrokonski Epiſcopi Vladiſlauien. progenitores.

Ioan Matthiæ frater Caſtellan. Vielunen.

iste ingenio non minus, quam frater excellens, atq; literis non mediocriter imbutus, & sustinendis quibuscunq; Magistratibus par, è duabus vxoribus susceptis liberis ad Castellanatum Vielunen. promotus, minor septem annis natu maiori fratri biennio præmortuus est. Matthiæ pueri adhuc & infantis futuram magnitudinem non dubijs præsagijs Deus significare voluit, quorum illud memoria dignum, cùm vix dum semestris in lecto positus, iniectis per famulam à recenti lotione madidis adhuc lineis vestibus oppresus esset, ac re serò animaduersa, iam ferè exanimis spumas ore voluens inde extraheretur, omnibus actum esse de illo credentibus, sola mater illius fæmina pijssima, magno inconcussæ fidei ardore prostrata in terram ad vota precesque cõfugit, & si puerulo Deus vitam, quam ægrè iam trahebat restituere dignaretur, se eum sacro Altari addicturam, & diuino seruitio mancipaturam sanctè promittit. Vix dicta finierat, cùm illi renunciatur puerum planè ac si nihil aduersi ei accidisset ad se redijsse. Non minus id quod referam admirationem mouet. Puer idem trium quatuorue annorum cum æqualibus suis colludens, impulsu vnius seu fortuito lapsu, in profluentem Vartæ rapidi & verticosi fluminis aquam decidit, socijsq; puerili metu, ne res proderetur diffugientibus omni destitutus humano auxilio, mira quadam Dei cura seruatur; fortè fortuna hauriendæ aquæ causa quidam è famulis eò veniens, puerulum ita immersum, vt aqua penè vnius cubiti

1554 Matthiæ prodigiosa infantia.

Semestris infans penè suffocatus matris voto vitæ restituitur.

Triennis in fluuio submersus miraculosè in ripam incolumis extrahitur.

cubiti altitudine supremo capitis illius vertici superfunderetur, erecto tamen totius corpusculi trunco quietè & miraculose sedentem conspicatur, haud dubiè suffocatum credens inde extrahit, sed continuò vegetum, ac omnis noxe expertem repertum domum reducit incolumem. Ne primis ætatis annis prauæ conuersationis consortio tener puerulli animus inficeretur, mater solicita & diligenti cura illius minimas actiones explorare solita cauit, illud identidem frequenti sermone auribus eius occinens: Matthia, tu Deo & Altari eius desponsus es, quamobrem, ita te geras, vt cum ad maturiorem ætatem perueneris dignus ea statione cui te deuoui esse possis. His ille cohortationibus excitatus talem se semper præstitit, vt in illa ætate, cui omnium concessione leues & ioculares lusus permittuntur, Matthias senili quadam prudentia & morum grauitate, non modò coætaneis, sed natu quoque maioribus ad omnes honestas actiones, ac præcipuè pietatis studia exemplo & incitamento esset, cunctosque in sui admirationem accenderet. Cognita hac eius indole Hieronymus Buzenski Supremus Regni Thesaurarius, vltro à patre illius poposcit suis impensis & cura in spem amplioris fortunæ educandũ eum sibi traderet. Honorifica ea & percommoda videri poterat inuitatio, nam Buzinio multum opibus & Regia gratia pollenti facilè erat proferre iuuenem, & ad altiores dignitatis gradus maturè euehere, cùm is non modò cognati sanguinis liberos,

155. Eius pueritiam Mater pijs admonitionibus informat & sponsionem voti qua Deo obligatus erat inculcat.

Matthiæ in pueritia senilis morũ maturitas.

156. Matthiam filium Buzenio Thesaurario ad educandũ deposcenti, tanquam hæresi deprauato, mater pia tradere renuit.

sed alienos etiam in quibus aliquid ingenuum & liberale animaduertisset, sua beneficentia & liberalitate prosequi, & quod aiunt tollere humo solitus esset; ac pater quidem facile fortasse voluntati Buzenij paruisset, verum mater verita, ne si puer homini malè de religione Catholica sentienti, ad eius arbitrium educandus traderetur, peruersarum doctrinarum magistros nactus, religionis Catholicæ iacturam faceret, obstitit omninò, seque etsi tenuiori fortè impensa, proprijs facultatibus alimenta

157. A Scholis triuialibus Cracouiam studiorum causa mittitur.

literis operam nauaturo filio suppeditaturam recepit. Iam in Vidauien. & Siradien. ludis literarijs tantum profecerat, vt ad capessenda Eloquentiæ & Philosophiæ studia idoneus haberetur, quare Decimumsextum agens ætatis annum Cracouiam mittitur. Florebat eò tempore Academia excellentibus & in omni facultate eruditis viris, hos Matthias nactus, ac inter alios Stanislaum Socolouium (cuius nomen doctissimi editi libri satis celebre, & nullo vnquam tempore intermoriturum reddiderunt, quem postea Regis Stephani Theologũ, ac Cracouiensis Canonicum vidimus) quò ille amico & magistro vsus, non humaniora modò studia, ac Græcas literas percepit, verùm etiam Diuinæ humanæq; sapientiæ reconditos fontes ita auidè hausit, vt quinque circiter in eò studio exactis annis cum discendi promptitudine, ac solertis ingenij acumine & viuacitate cunctis anteiret, non eruditus modò, sed cumulatè doctus euaderet. Non prætermit-

termittam hoc loco id quod ab ignaris rerum temere in suspicionem vocatur, ac si ille eò tempore quo Cracouiæ morabatur, habitum fratrum, quos Diui Francisci institutum secutos de obseruantia appellant, suscepisset, diluere; etsi enim religionis desiderium nemini in probrum cedere debeat, laudemque magis quam vituperium mereatur, tamen leuitatis cuiusdam & inconstantiæ nota, quæ in amplectendo & continuo deserendo hoc vel illo vitæ statu potissimum conspicitur, à Pstroconio nobis remouenda est. Eius igitur fabulæ hoc erat initium. Adolescentulo adhuc vix dum decimumquartum annum ætatis egresso, patruus Ioannes Pstrokonski Castellanus Conarien. Præposituram Iuniuladislauiensem à Sigismundo Augusto Rege impetrauerat, rationibus illius accisis eo modo consulturus, eius Sacerdotij onere, cui cura quoque animarum annexa erat, se conscientiamque suam grauari sentiens Pstroconius, vt primùm Cracouiam venit, communicato cum pijs & religiosis viris consilio, patruo & parentibus significat se tam tenera ætate munus hoc obire non posse, ac proinde se eo Sacerdotio abdicare velle, cùm verò illi ne id faceret vetarent, vel si fecisset, se impensas quibus cæptum studiorum cursum prosequeretur, deinceps non suppeditaturos minarentur, ille generosa quadam animi magnitudine cuncta saluti animæ postponenda existimans iuri eius Præposituræ inconsultis parentibus renunciat, & cùm non ignoraret suos id

158. Inouladien. si Præposituræ renũtiat; inde nata de S. Francisci suscepto habitu fabula.

ægrè laturos, vicissim ipse sibi rationibusque suis aliter se prospecturum ostendit, inde nata ea suspicio, vt cum frequentes cum Monachis Bernardinis, è quibus vnum singulari quadam veneratione colebat, sermones misceret, de suscipiendo illorum instituto consilia agitare existimaretur, id postquam parentibus renunciatum esset, continuo moliori responso recreatum, benè de sua erga se indulgentia, & liberalitatè sperare iubent, se curaturos deinceps ne quid illi deesset, sic omnis illa sollicitudo præpostero & præcoci, benè fortasse sed non secundùm eorum qui cælestia curant sensum cupientis patrui studio iuueni iniecta, eximia illius constantiâ superata est.

159. E scholis euocatus, Ioanni Sieracouio Palatino Lācicienſi ſuū probat in latino sermone progressum.

Sed vt ad incæptam narrationis seriem redeamus; cùm Henricus Valesius summo totius Poloniæ concursu Regio Diademate Cracouiæ insigniretur, venerat eò etiam Ioannes Sieracouius Palatinus Lanciciensis, is Pstroconium ad se vocatum & benigne acceptum, posteàquam ingenij & industriæ ipsius exploratis viribus eum tantum in studijs profecisse animaduertisset, vt à scholastico puluere eum amoueri, & rebus agendis adhiberi maturum iam existimaret, cum eò tempore Rege peregrini sermonis rebus præsidente, non aliter nisi Latinè vel in Senatu sententia dici, vel in priuatis colloquijs cum Rege agi posset, ille in omnibus Pstroconij vsus operâ iuueni elegantiâ scriptionis florenti ostentandæ industriæ & parandæ gloriæ campum patefecit.

Eiusdem stijli laudes.

Carncouius sanè Episcopus Cuiauiensis, vir a-

vir acris & perspicacis iudicij, cùm in vnam & alteram Pstroconij lucubrationem incidisset percontatus cuius ingenij fœtus ille esset, ac Sieracouius iuuenis cuiusdam recenter è schola à se producti operâ se hac in re vti respondisset, nequaquam iuuenilem sed longo ac diuturno vsu paratum eum stylum sibi videri confirmauit. Delectatus ea sui Pstroconij laude Sieracouius domum regrediens eum secum abducit, ea tempestate Sieracouius in ea apud omnes fuit opinione, vt nemo illo antiquitatis peritior, nemo legum & institutorum patriæ scientior, & qui in explicandis arduis & difficillimis consilijs singulari quadam facilitate magis polleret haberetur, eam famam de se temporibus adhuc Sigismundi Primi cùm iuuenis admodum in Reipub. negocijs versaretur, ac mox Regni esset Referendarius concitauerat, diuturnoque rerum vsu summam authoritatem sibi comparauerat, adeò vt homo mediocri & equestri tantùm loco natus, ob insignes animi & ingenij dotes ac hæroïcas virtutes ad summum dignitatis gradũ euectus fuerit, ac inter eos qui Principem in Senatu locum tenebant non postremus cẽseretur. Nactus is Pstroconij consanguinei sui solers & docile ingenium, quidquid ad pernoscendũ Reipub. statum pertineret, quæ legum & institutorum patriæ origo, quæ ratio gubernandæ & administrandæ Reipub. qui Regiæ potestatis vel Senatoriæ functionis modus, quæ partes Equestris Ordinis essent, qui expediendorum consiliorum ordo, talia

dator Carnkouius Episcopus Vladislauiensis.

160. Sierakouius Palatinus Lanciciensis Senator cõsummatissimus formator Pstrokonij.

discen-

discendi auido iuueni frequenti sermone ingerens, ac identidem acta prioris æui & monumenta maiorum, ac præcipuè temporis sui res gestas legendas proponens, maiori earum rerum cognoscendarum, quæ aliquando sibi & patriæ vsui essent studio accendit. Nec ille deerat sedulus à narrantis pendere ore, de rebus dubijs percontari, & quæ ipse in scholis didicerat, & ex Aristotelis doctrina hauserat, ad vsum eorum, quæ à viro in rebus experto dicebantur accommodare, denique nullum tempus occasionemue quâ non aliquid disceret prætermittere.

161. Pstrokonium cũ nepotibus suis in Germaniam ablegat.

Sic maturescente iudicio etsi dignum existimaret Sieracouius, qui rebus agendis admoueretur, tamẽ non ignarus admodum necessariam esse ijs, qui in Repub. versantur Germanicæ linguæ notitiam, vnà cum nepotibus suis Ioanne & Martino (quorum alter Brestensis, Inoulodensis alter Castellanus auiti decoris splendorem Senatoria dignitate nunc præclarè tuentur) in Germaniam ablegat, id quidem parum consulto, quòd Vratislauiæ primùm, mox Golbergæ, locis Hæretica labe infectis eos manere voluisset, verùm id fortasse idcircò ab eo factum, quòd cùm satis perspectum haberet Pstroconij maturi iudicij robur, vt eo præsente nullum ab eiusmodi peste nepotibus suis imminere periculum existimauerit; possem hîc commemorare, quæ pudicitiæ & castitatis pericula adierit, tùm iuuenis forma & ætate florens, & quàm procaciter humani generis hoste insidias struente à fæminis appetitus fuerit, ille qui-

162. Pudicitiæ & Castitatis cultor diligens Pstrokonius.

le quidem bis teruè diuinitùs planè à turpi lapſu ſe ſeruatum eſſe, cùm pios & ad virtutem cohortatorios nobiſcum cōferret ſermones referebat, in eoq; ſingulare & plane manifeſtum Dei adfuiſſe ſibi auxilium, profuſis ob tanti beneficij memoriam lachrimis memorabat. Non diu ei diſcendæ Germanicæ linguæ cauſâ morandum illic fuit, nam cùm excellenti memoriâ polleret, paulò plus vno ei rei impenſo anno tantum profecit, vt expeditè ſermone illo vti poſſet, eumque in omni deinceps vita familiarem haberet. Inde vbi redijt doctus iam antea multorum exemplis neminem qui patrij iuris ſaltem prima rudimenta non noſſet, aliquid nominis ſibi comparare poſſe, cumq; hæc iuris notitia non aliter, quam vſu comparari ſoleat, iſq; potiſſimum in ijs locis, in quibus à Regijs præfectis ius dicitur vigeat, eo ſe hortante Sieracouio contulit, atque in Siradi- 163.
enſis Caſtri, vt vocant, Cancellaria vnum circiter annum iſtius rei cauſâ egit, tantaque ſedulitate ei ſtudio incubuit, vt nouitius mox veteranos, & diuturna fori conſuetudine exercitatos ſingularis iudicij acumine ſuperaret, cunctis verò ſingulari modeſtiâ & pietatis ſtudio exemplo eſſet, ita locus is qui ob inueteratam licentiam corruptela iuuentutis vulgò exiſtimatur, Pſtroconij incorruptos mores & caſtum pudicumq; vitæ genus adeò non interuertit, vt ille multorum teſtimonio eam laudem aſſecutus fuerit viciſſim, vt eos quorum ſocietate ne corrumperetur periculum erat, honeſtiſſimarum actio-

Hortatu Sieracouij Cācellariæ Caſtrenſi Siradiæ incumbit.

Inter vitæ licentioſæ ſodales incorruptus, imò corruptorum cēſor.

actionum admiratione ad virtutis studium suique imitationem pertraheret, & multi ob eam causam, ex ijs quibus tanti viri consortio frui contigerat, non magis iuris periti, quam virtutis studiosi euaserint. Sic efformatum & ad maiora nitentem maturum annis & iudicio pollentem vocat ad se Sieracouius, & quem vitæ statum amplecti vellet sciscitatum, cùm is dudum sibi destinatum respondisset sacris Ordinibus initiari, probato eius consilio Stanislao Carncouio Episcopo Vladislauiensi, vt sub eius viri auspicijs vitæ Ecclesiasticæ primordia iniret, tradendum cōmendandumq; proponit. Sed Carncouius quòd eo tempore nescio quid simultatis sibi cum Sieracouio intercederet, primam pro Pstroconio eius petitionem reiecit, mox eundem ad se negocij cuiusdam causâ missum, ac strenuè illud obeuntem, obiectasque quæstiones (agebatur de matrimonio viri cuiusdam nobilis ritè, an perperam illud contractum esset) prudenter dissoluentem: Tune es, inquit Carncouius, à Palatino Lanciciensi mihi commendatus, eo annuente subinfert ille. Quod in gratiam Palatini facere recusaui, id exploratæ tuæ industriæ tribuo, teque libens volensque in numerum meorum adscribo. Deinceps (verba ipsa pono) ego tibi ero in patrem tu mihi in filium: ea sponsione sibi obligatum ac sacris initiatum intimis suis cogitationibus adhibet, ingenium excellēs sed modestum, aliâs laude, non nunquam cohortatione accendit, ostentandæ industriæ occasiones submini

164. Pstrokonium Sierakouius Carnkouio, inter domesticos adlegandū cōmendat.

Repulsam primò passus culpa Sieracouij.

Postmodū humanissimè in domesticum atq; adeò in filium receptus.

ſubminiſtrat, æmulatione deniq; alieni laboris modeſtiam ipſius excitat. Nemo Carncouio exercendæ iuuentutis prudentior, vel tractandorum ingeniorum ſolertior vnquam fuit, nemo qui plures educationis ſuæ alumnos in lucem productos, ac ſummis poſtea in Repub. magiſtratibus functos protulerit, cùm in eius aula non induſtria modò ac arduorum quorumcunque negociorum tractatio, verùm ſingularis omnium vitutum æmulatio, & pietatis ſtudium vigeret, ac complures non doctrina modò, ſed generis etiam nobilitate præſtantes ſibi eum ducem & magiſtrum legerent, ac ille cuiuſcunque ingenij indagator diligens, alterius operâ in obeundis legationibus vti, hunc ſcribendis literis præficere, illum euoluendis maiorum monumentis, alium præſentis æui rebus geſtis mandandis memoriæ adhibere, alterius induſtriam quantum in ſacris ad populũ faciendis ſermonibus poſſet explorare, omnes denique intentos eſſe iubere, ac ſingulorum laboris penſa frequenter repoſcere, nec quenquam otio torpeſcere pati, laudare promptos, ſegnes reprehendere. In ea virtutis palæſtra, eùm duos annos Pſtroconius ſumma cum laude verſatus eſſet, tantũ ſibi nomen apud Carncouium comparauit, vt è numero aliorum ſecernendum, & accuratiori ſtudio prouehendum iudicaret, quare pecuniâ inſtructum Romam eum ire iubet, vt in vrbe Eccleſiaſticæ diſciplinæ & pietatis magiſtra Sacrorum Canonum ſtudio tempus impenderet, haud ſegniter ille arripit occa-

165. Carncouij Epiſcopi aula, iuuẽtutis Polonæ in omni genere virtutis ac diſciplinæ exercendi palæſtra.

166. Ibi loci rectè inſtitutus Pſtroconius nomini & impenſis Carcouij Romã proficiſcitur.

occaſionem eruditionis cumulandæ, & quanquam huic potiſſimùm curæ intentus, vt Canonicarum Sanctionum notitiam ſibi compararet, tamen alijs quoque doctoribus horas ſuccìſiuas dabat, miratus præcipuè Muretum veteris Eloquentiæ ſplendorẽ, magno & non infelici conatu in vrbe reſtituentem.

167

Mira Dei circa Pſtroconium viribus & pecunia deficientem Romæ prouidentia.

Hæc agentem Pſtroconium nec valetudini parcentem morbus oppreſſit, quo cùm non niſi loci mutatione leuari poſſet, Mediciq; vrbe excedendum ſuaderent, ac pecunia ad ſuſcipiendum iter deeſſet, cùm parentes eum Carncouij impenſis ſuſtentari exiſtimarent. Carncouius verò vt fit abſentis facilè obliuiſceretur, vt aliâs ſic & eo tempore, ſingularem opem Diuinam rebus ſuis anguſtis ſenſit Pſtroconius,

Petri Wolski Epiſcopi Plocenſis egregia in Pſtroconium laborantẽ munificentia.

nam cùm Petrus Wolski Epiſcopus Plocenſis Regis Stephani nomine publica apud Pontificem Gregorium XIII. legatione functus, ab Vrbe domum rediens in itinere intelexiſſet hac eum vrgeri neceſſitate, continuò mandauit ſuis in vrbe procuratoribus curarent diligenter ne quid Pſtroconio deeſſet, & ſi res eius ita poſtularent commeatu inſtructum Vrbe expedirent, qua liberalitate ille ſubleuatus, nondum ſatis confirmata valetudine, non vltra Romani áëris peſtilentem auram ferre valens itineri ſe dedit, & inuitantem ad ſe omniaq; liberaliſſimè pollicentem Epiſcopum, breui conſecutus humaniſſimè ab eo excipitur; iam eodem curru quo ipſe vehebatur receptum, menſæq; ſuæ adhibitum continuò quanti virtutem doctrinamq; eius æſtimaret oſtendit

ſtendit, nec Pſtroconius quidquam ſibi eo nomine arrogare, ſed modeſtia cum omnibus, obſequio cũ patrono certare, quo factum eſt vt cùm pleriq; è veteribus Epiſcopi familiaribus initio ferrent iniquiùs, eum ſibi in contubernio anteferri, mox cognito eo inuidiam amore commutarint, iudiciumq; Epiſcopi in præferendo cæteris Pſtroconio ſpontè laudarent. Iam Carncouius Regis Stephani promotione Archiepiſcopus Gneſnenſis renunciatus erat, quem Epiſcopus Plocenſis tam longinqua peracta peregrinatione ſimul honoris & veteris amicitiæ cauſa vt inuiſeret Louicium ex itinere diuerterat, in cuius comitatu cùm Archiepiſcopus Pſtroconium conſpicatus eſſet, quærit quid ibi ageret? enimuerò Epiſcopus, meus eſt, inquit, Pſtroconius, quem à te neglectum ego ab vrbe mecum eduxi. Sed Archiepiſcopo ſuum itidem eum eſſe aſſerente, ac prioris iuris prærogatiuam proferente certamen amoris plenum inter eos interceſſit, ſed poſtremò ceſſit vt par erat Epiſcopus Archiepiſcopo, Pſtroconiumq; commendationis ſuæ acceſſione in præcipuo gratiæ loco apud Archiepiſcopum repoſuit; quanquam virtus eius ſatis per ſe commendabilis non multum alieni ſuffragij indigeret, cum nullum eſſet ita arduum & difficile negocium, cui ille ſumma cum laude ſuſtinendo par non eſſet, omniaque ſibi demandata munia ea dexteritate obiret, vt præclara illius animi & ingenij vis vno omnium conſenſu prædicaretur, ille in obeundis legationibus ſuam potiſſimũ induſtri-

168. Inter Carncouium & Volſcium de retinendo apud ſe Pſtroconio certamen.

Archiepiſcopo acceſſit Pſtroconius.

industriam probabat Carncouio, illius in diiudicandis maioris momenti causis, in explicandis consilijs, in tractandis negocijs prudentia eminebat.

169. Breui quidem ille laboris & industriæ suæ ipsiusmet Carncouij iudicio præmium tulit, nam cùm Præpositura Louiciensis Sacerdotium nobile & ferè primum ex ijs, quorum Archiepiscopus suo arbitrio conferendorum potestatem habet vacaret, multiq; id sibi deferri peterent, ac vnus è nepotibus Archiepiscopi iuuenis admodum, ac penè puer inter competitores emineret, Carncouius præter eorum consuetudinem, qui plerumque nepotibus suis ita addicti sunt, vt cæteros quamuis digniores illis postponant, plusq; speratæ suorum, quàm exploratæ aliorum virtuti tribuunt, maiorem meritorum, quàm sanguinis rationem sibi habendā existimans, Pstroconium iam antea Canonicatu Gnesnensi à se auctum, Præpositum Louiciensem renunciat.

Post multa virtutis & industriæ experimēta Præpositura Louiciensis ab Archiepiscopo defertur Pstrokonio, post delatum paulò ante Canonicatum Gnesnensem.

Non tam fortunarum suarum incremento, quam eximio

170. Patroni de se iudicio, lætus Pstroconius suscepto Præsbyteratus ordine, singulari quodam pietatis ardore incensus, quasi tum primum ad subeundum sacri muneris officium se accingeret, nouis ijsq; accuratissimis se munire præsidijs, ad omnem occasionem intentus esse, cum alijs sacræ obseruantiæ pijs operibus, tum singulis cuiuslibet hebdomadæ sextis ferijs cibi potusq; omninò abstinens, inediâ spōte sibi indictâ corpus macerare, cuncta exactioris vitæ instituta complecti, nec quidquam quod ad coercen-

Sacerdotio præditus quam piam vitam instituerit Pstroconius.

coërcendos domandosq; effrenatos animi motus pertineret prætermittere. Nec defuit ad ardua tendenti certaminis occasio, nam cùm ij qui sua merita proprio iudicio metientes se præteritos, opimumq; sacerdotium quod spe deuorarant, ad alterum delatum viderent, cæcâ acti inuidiâ credulas Archiepiscopi aures varijs onerant opinionibus, iuuenem Pstroconium nec tantoperè meritum, nimium esse fortunis auctum, moderaretur suam liberalitatem, detraheret Præposituræ decimas, easq; alijs qui meritis Pstroconio præstarent largiretur, quod cùm Archiepiscopus se facturum ostendisset, indignum ratus Pstroconius sibi eam fieri iniuriam, magnitudine quadam animi incensus, cessurum se potiùs beneficio, quam passurum vt sacerdotij cuius ille possessor esset vetusta dos distraheretur respondit, cumque contra inimici acriter niterentur, ille verò constanter resisteret, Archiepiscopus postremò maturiori vsus iudicio, ne ius quæsitum alteri intercipere velle videretur, Pstroconium ampliùs eo nomine interpellare noluit. Agebatur tum annus supra Millesimum Quingentesimum Octuagesimus quartus, quo tota ferè Polonia ingenti metu perculsa in magna rerum nouarum erat expectatione, id ea occasione accidit. Ioannes Zamoyscius Regni Supremus Cancellarius & Exercitum Præfectus Samuelem Zborouium illustri ortum familia, sed ob cædem Vapouij sub Henrico Rege proscriptum in Territorio Cracouiensi præhensum iussu Regio supremo

171. Æmulorũ impugnatur inuidia.

A.D. 1584.

172. Res perturbatæ inter Poloniæ proceres.

premo ſupplicio affecerat, grauior pleriſque ea videbatur animaduerſio quàm leges Regni permitterent, Rexq; ad tantam atrocitatem conſilio Zamoyſcij impulſus eſſe credebatur, fremebantque paſſim omnes Zborouianæ ſectæ amici, quorum pro generis ſplendore auitiſque opibus magna per totã Poloniam erat copia, licuiſſe tantum vni homini nuper gratiâ Regiâ ſummis magiſtratibus ornato, vt priuato arbitrio ſiniſtra legum interpretatione ad perniciem libertatis Polonæ nouo & nunquam antea audito exemplo abuteretur. Igitur plerique Proceres ac inter eos Princeps Senatûs Carncouius, infecti partium fauore, pro Zborouijs in proximis Regni Comitijs niti conſtituerant. Sed Pſtroconius conſpicatus quanto Archiepiſcopi periculo, quantâ Regiæ gratiæ erga ſtatum Eccleſiaſticum iactura id futurum eſſet, ſi Carncouius cum factione Regi aduerſa, quæ magna parte ex Hæreticis conſtabat ſe coniungeret, ſagaci perſuaſione mentem eius ab eiuſmodi cogitatione auertit, tantumque effecit, vt Archiepiſcopus ſeruato dignitatis Archiepiſcopalis tenore, nec Regi blandiretur, & præcoces Zborouiorum impetus intempeſtiuaſque minas moderatis conſilijs temperaret. Succeſſit poſtea Regis Stephani mors, Interregnumq; in ipſo inimicitiarum feruore atque tali Reipub. ſtatu, vt de ea actum eſſe gnari rerum æſtimatores non immerito putarent. Summa rei, more inſtitutoque maiorum penes Archiepiſcopum erat, is accepto Regiæ mortis

Ad eas ſedandas de conſilio Pſtroconij, egregiam init rationem Carncouius.

173. *Interregnũ poſt mortẽ D. Stephani R. P.*

tis nuncio, eadem planè hora Pstroconium ad Sta-
nislaum Comitem Gorcanum Palatinum Posnani- 174.

Pstroconius ad factiosas Procerum conuentiones legatus à Carncouio

en. fortè fortuna eodem tempore in Curnicen. pa-
latio cum Zborouijs de rerum suarum statu consul-
tantem expedit, suadet ne præcipiti aliquo consilio
se & Rempub. in discrimen adducant, Conuentus
particulares pacatè expediri sinant, de odio quo
Cancellarium prosequebantur, patriæ caussâ tantũ
remittant, quantum ciues priuatas iniurias Reipub.
condonare fas est, Archiepiscopum daturum ope-
ram, vt in futura Electione eorum dignitatis ratio
habeatur. Mollis hæc legatio & Pstroconij accomo-

Mira dexteritate ab iniquis cõsilijs tumultuantes abducit Pstroconius.

data oratio magno fuit temperamento, ad retinen-
dos homines illos perferoces & potentes, quo mi-
nus vel Andream à Bnin Opalinski Supremum Re-
gni Marschalcum non procul eo tempore ab eis dis-
situm, & magno apud eos odio quod Regia consilia
in maiori Polonia foueret, flagrantem inuaderent,
vel vniuersam Rempub. priusquam cæteri subsidia
illi ferre possent, perturbarent. In Electione ipsa 175.

In Electione noui Regis ad maximè ardua negotia ab Archiepiscopo Carnkouio adhibetur Pstroconius.

celeberrimoq; illo actu cuius moderatio ad Archie-
piscopum pertinet, ita se Pstroconius gessit, vt cæ-
teris qui cum Archiepiscopo erant metu torpenti-
bus, ille ad expedienda maximi cuiusque momenti
negocia adhiberetur. Flexerat animum Archiepi-
scopi Zborouiana factio sua sponte Austriacæ fa-
miliæ addictum, & non temerè suspicantem Can-
cellarium potentiæ auidum vel sibi fasces imperij
arrogaturum, aut certè talem promoturum, qui suæ

 volun-

voluntati obnoxius esset. In oculis erat hominum Andreas Batthoreus defuncti Regis ex fratre nepos, affinitate Cancellario coniunctus, iuuenis, nisi eum recens inuidia Batthoreæ familiæ prægrauaret, gratus populo. Nec Cancellarius sincero animo Sigismundum Sueciæ Principem in quem Catherina Iagellonia ortum nostri veluti sanguinis & linguæ Regem popularia studia propendebant fouere putabatur; sed cum alium quem potentiæ Austriacæ opponeret non haberet, & Sigismundum non tantùm Equestris Ordinis consensu, sed Annæ Iagelloniæ Reginæ opibus promoueri videret, ad eum quoq; flexit animum, suamque potentiam populari fauori adiunxit. Hærebat interea Carncouius, nam factioni Austriacæ penè fidem dederat, se ea inuita ad renunciandum nouum Regem non processurum: erant complures ex eius familiaribus qui senem ostentatione periculi & discriminis quod Ecclesia & ipse aditurus esset, si quempiam alium Austriacæ

176. familiæ toto orbe celeberrimæ, & cuius potentia, ijsdem quibus orbis Christianus finibus continetur, ingentesq; opes essent præponeret, distraherent, è contra Pstroconius euidentissimis rationibus persuadendo ostendebat, in Repub. libera nihil magis spectari debere, quam communem omnium consensum, signum certissimum Diuinæ voluntatis, cui cessura omnia, turpe & indecorum esse in expediendis consilijs permoueri metu, à quo si dependere voluerimus, vetusta libertatis possessione cedendum nobis

Pstroconius potentissimis rationibus persuadet Carcouio eligendum in Regem, Sigismundum Sueciæ tunc principem.

nobis eſſet, pro hac autem conſeruanda ſi quid grauius ingruat, mortem oppetere honeſtum & gloriosum videri, lecto præſertim tali Principe, quem tanto deſiderio omnes expeterent, & cuius Regiæ indolis certa quaſi eſſet ſpes, & non dubia expectatio; non eas vires aut opes quibus Auſtriaca familia polleret circumſpectandas pertimeſcendaſq; ſed expendendum á quibus promoueatur, exijs pleroſq; eſſe Hæreticos, alios temulentos & ad res grauioris momenti ſuſtinendas nequaquam firmis niti conſi- 177.
lijs. His perſuaſionibus atque authoritate Andreæ Opalenij Supremi Regni Marſchalci, ac Stanislai Priemſcij Capitanei tum Coninen. ac paulò poſt Curiæ Regni Marſchalci, quibus Carncouius plurimum fidebat, effectum eſt, vt Archiepiſcopus à Zborouianis conſilijs alienum ſe gerere animum oſtenderet, Andreamq; Zborouium Curiæ Regni Marſchalcum petentem vt Candidatum ſuum Maximilianum Archiducem tanti nominis Principem Regem renunciaret, ſimulatione ægritudinis lenibus verbis emollitũ à ſe remoueret, nam & is quòd Catholicus eſſet plurimùm apud Carncouium gratiâ valebat, periculumque maximum erat ne eius perſuaſionibus promoueretur; quòd fortaſſe factũ fuiſſet, niſi Pſtroconius intra eoſdem cum Patrono parietes degens opportunis conſilijs illius animum aduerſus eiuſmodi ſolicitationes confirmaſſet, qua ex re magnum ſibi aduerſæ factionis comparauit odium, adeò vt Stanislaus Comes Gorcanus Palati-

Magna cũ inuidia, ſtatur conſilio Pſtroconij, de Rege P. eligendo.

nus Posnaniensis, cum Pstroconius à Carcouio missus negocij cuiusdam causa eum adijsset, non admodum amica salutatione, Aue inquit Rabi (indicans
178. eum apud Carncouium consilio plurimum posse) illum exciperet. Comitijs Electionis in ea dissensione, cuius memoria terret adhuc animos nostros, vtcunque expeditis Carncouio circumspiciente, quênam nouo Regi suo nomine obuiam mitteret, Pstroconius maximè idoneus visus est, qui hoc munere fungeretur, vt eum primùm è suis familiaribus Regi recens lecto exhiberet, qui in constituenda ad votū illius Electione plurimùm operæ & studij ipsiusmet Archiepiscopi testimonio posuisset. Celeriter hoc perfunctus officio Regeque eleganti oratione in naui adhuc ex persona Archiepiscopi salutato, redit ad Carncouium Pstroconius, illiq; periculoso illo & difficili Reipub. tempore cæteris Ecclesiastici ordinis metu se subducentibus Comes indiuiduus fuit, Cracouiamq; electum Regem per varios circuitus, nec enim recta expeditum iter erat, deducenti semper adhæsit, quo vbi ventum est, nactus pietatis exercendæ occasionem post tot periculosissimi itine-
179. ris difficultates superatas, ad refouendos eos Germanos, qui in eo conflictu quo Maximilianus Archidux à nostris victus atque à mœnibus Cracouiensis vrbis fortiter reiectus turpiter obsidionem soluere coactus est, capti ac fœdis vulneribus affecti passim, nemine miseris opem ferente, fame & vulnerum dolore extinguebantur, animum conuertit, ratus

Nouo Regi obuiam mittitur à Carnkouio Pstrokonius.

Regem eleganti oratione salutat.

Cracouiam cum Karnkouio deducit.

Pstrokonij pietatis studium erga milites ex conflictu saucios & fame pressos.

ratus longè à Christiana pietate alienum pati homines Christianos quamuis antea hostes extrema necessitate perire, quamobrem diligenter conquisitos, & si ipse satis angustè, idque cum alijs contubernalibus suis hospitaretur in suum deferri hospitium iubet, atque intra cubiculum indignantibus, & importunam vt illis videbatur commiserationem increpantibus ijs, qui in eodem cubiculo degebant, nec fætorem varijs morbis affectorum æquo animo ferebant, inducit, ac cùm ipsi opes ad curandos refocillandosque eos non suppeterent, ab Archiepiscopo & nonnullis Episcopis, cæterisq; vtriusque ordinis pijs viris emendicatâ pecunia medendi peritos aduocat, victum subministrat, vestes etiam plerisque comparat, suasque omnes facultates in vsum eum distrahit. Hæc ille in medijs Reipub. curis, quo ostenderet nullo vnquam tempore ijs qui pietati operam nauare cuperent eius exercendæ materiam deesse posse. Erat eius industria & ad res gerendas par animus, non solùm Archiepiscopo, sed alijs etiam magnis plerisque viris cognitus, è quibus Hieronymus Comes à Rozdrazow Episcopus Vladislauiensis vir acerrimi iudicij, tanti ingenium, & ad omnes honestas actiones præclaros Pstroconij conatus æstimauit, vt Carncouio non admodum annuente, quod se priuari tam necessario sibi homine ægrè ferret, non repugnante tamen, illum Regiorum Secretariorum numero adscribi fecerit, ac simul cum Carncouio Regi impensè commendauerit, 180.

180. Hieronymi Comitis à Rozdrazew Episc. Vladislauien. cõmendatione inter Regios Secretarios adoptatur Pstroconius.

Ægre fert Carnkoui-

us ſeceſſionem ad Regis obſequi a Pſtroconij nihilominus eum Regi commendat.

atque etiam à Carncouio contenderit. Decanatum Gneſnen. nobile & opimum inprimis ſacerdotium tunc vacuum illi conferret. Sed Carncouius nonnihil ea re offenſus quod alieno, quamuis non quæſito ſed ſua virtute comparato ſuffragio Pſtroconius niti videretur, quamuis initio oſtendiſſet ſe illius ea occaſione rationem habiturum, poſtmodum tamen ad ſuum ex fratre nepotem Martinum Carcouium, præterito Pſtroconio beneficium hoc detulit. Commouit ea res animum Pſtroconij, etſi enim nō adeò ambitione, à qua ſemper alienus erat, proceſſerat, vt certam ſibi illius ſacerdotij poſſeſſionem polliceretur, tamen cùm videret aliorum quoque iudicio ſuæ virtuti illud deberi, non poterat niſi moleſtè ferre eam ſibi fieri iniuriam; diſſimulato tamen dolore, nec quidquā de patrono queſtus paulatim cepit ab obſequijs illius ſe ſubducere. Cuius rei fuit illi oblata occaſio percommoda & honeſta. Rozdrazeuius Epiſcopus Vladislauien. ad tranſigendum cum Rudolpho Imperatore Romanorum, totaque Auſtriaca familia de iniurijs ab Archiduce Maximiliano, Regno illatis, & ad tractandum de illius eliberatione, pactiſq; renouandis & firmandis, ſumma cum poteſtate cum collegis ad fines Regni miſſus, Pſtroconium è Secretarijs Regijs ſibi dari poſtulauit, quem gnauiter in tam arduo negocio ſibi & Reipub. nauaturum operam non inani ſpe cōceperat, reſpondit ille præclarè conceptæ, de ſua induſtria & fide eius expectationi, cùm in explicandis ma-

181. Rozdrazeuio ad Auſtriacā domum legato conſiliorum & itineris ſocius Pſtrokonski.

dis maximi momenti consilijs, tum in propositionibus tractatibus & responsis scripto concipiendis, ita vt non alium ad eam rem libentiùs Episcopus adhiberet quàm Pstroconium, req; bene gesta, totoq; eo negocio composito, Regi magnoperè commendaret. Quo factum est vt Anna Regina Poloniæ, cùm non ignoraret quanto studio Pstroconius Electionem Regis nepotis sui promouerit, & qua fide ac industria in eo negotio versatus fuerit, simul illius pietatem, & in re Ecclesiastica administranda diligentiam, ac industriam perspectam habens, vltrò non petenti Decanatum Varsauien. detulerit, quem tamen Pstroconius ne Archiepiscopum offenderet, non priùs acceptauit, quàm ille consentiret. Nactus id sacerdotium non tam opibus affluens, quàm loci celebritate illustre, omnem suam industriam in functione muneris sui rite & ad numeros, quod aiunt, explenda, collocauit, non modò in reformando Clero Ecclesiæ, sed etiam in sacris ad populum concionibus, alijsq; sua vocatione dignis exercitijs præclarè operam collocans, ita vt Regina ipsa pia & religiosa Princeps magnoperè illius in obeunda functione sedulitate delectaretur. Cùm autem sub idẽ tempus Bernardus Macieiouius Episcopus Luceoriensis Legationem Regis nomine ad summum Pontificem Sixtum V. adornaret, neque munus tantum se ex dignitate obire posse existimaret, nisi tales sibi Comites adscisceret, qui rerum vsu præstarent, ac Pstroconius inter eos qui huic rei suffecturi proponebantur

182. A rebus in hac legatione prudenter gestis iterũ Regi & Reginæ commendatus.

& Decanatu Varsauien: auctus, munus suũ præclare obit.

183. A Bernardo Macieiouio Epis. Luceorien. Romã Regis nomine Legato, Secretarij Legationis officium delatum Pstroconio.

nebantur, facilè principem locum teneret, vltrò ad eum Secretarij Legationis officium defert, quod ille, commendata ad tempus pijs & sibi addictissimis Sacerdotibus Ecclesiæ Varsauiensis cura, eo minùs grauatè suscepit, quòd dudum illi in votis esset Vrbem pietatis & religionis magistram ex interuallo inuisere, simulque eadem occasione certa quædam indulta à Sede Apostolica obtinere. Expertus est breui Macieiouius quanti sua & Regis interesset, habere secum hominem non modò doctum, verùm etiam rerum agendarum peritum, namque illius potissimùm opera, in expediendis quibusuis negocijs vsus rectè, & ex sua, Regis, ac Reipub. dignitate munus hoc obiuit. Interea dum Pstroconius in Vrbe versatur, Rex promoto ad Episcopatum Płocensẽ Alberto Baranouio Regni Vicecancellario, cùm suspectam haberet potentiam Ioannis Zamoyscij Regni Cancellarij, qui eam ob causam maiores animos gerere putabatur, quòd Baranouius in Magistratu ab ipsius arbitrio penderet, renitente multùm Cancellario, & Petrum Tylicium ad Vicecancellariatũ promoueri contendente, præter ipsius voluntatem Ioannem Tarnouium Rolicium Regni Referendarium Vicecancellarium renunciat. Erat in Tarnouio præter cæteras virtutes summa animi magnitudo, qua præstare cæteris, & nemini cessurus putabatur, nemo illo in amicitijs conciliandis clientelisque parandis promptior, vel magis expeditus fuit ita vt præcipuos quosque Proceres sua familiaritate deuinctos

184. Ioannes Tarnouius ex Regni Referendario renunciatus Vicecancellarius.

uinctos

uinctos teneret. Qui vt primùm munus hoc susce-
pit, gnarus quanta de se expectatio esset concepta,
& ad omnes intentus occasiones, ne qua ex parte
inimicis & inuidis opportunus esset, ita se ad geren-
dum summum eum in Repub. difficillimo Regni tẽ-
pore magistratum comparabat, vt omnia munia of-
ficij sui expleret. Etsi autem complures essent in
Cancellaria Regia, ex quibus eum qui Cancellariæ
Regens dicitur legere posset, plerique lõgo vsu pro-
bati, & tractandorum negociorum gnari, cùm ta- 185.
men ijdem omnes Zamoyscij beneficijs obstricti,
atque eidem obnoxij putarentur, præter omnem
spem & expectationem munus id ad Pstroconium
absentem eo tempore, & in Italia agentem, nec vn-
quam in Aulicis expeditionibus versatum detulit.
Intercesserat ei antea cum Pstroconio non nulla ne-
cessitudo, quòd frater ipsius filiam Stanislai Tar-
nouij Castellani Inouloden. patrui Vicecancellarij
in matrimonio haberet, sed ille præcipuè in eo dili-
gendo industriam noti ac explorati sibi amici, cui
intimas suas cogitationes tutò concredere & co-
mittere posset, spectauerat, eoq; nomine sibi com-
mendatum habuerat, & ad complectendum eum a-
nimum adiecerat. In ea statione positus Pstroconi-
us, cùm non ignoraret omnium ora & oculos esse in
se conuersos, potissimùm eos qui diuturno aulæ vsu
probati, atq; in negocijs versati essent, non æquo
animo ferre, sibi nouitium anteponi, omnes vicis-
sim ille intendit neruos, vt & conceptæ à Tarnouio

Is absentẽ Pstrokonium Regentem Cancellariæ pronunciat

Comitate & agendi dexteritate inuidiam æmulorum superat Pstroconius

E de se

de se expectationi responderet, & inuidis nequam occasionem de se malè existimandi præberet, è quibus plerosq; amicitia & consuetudine complexus, breui vniuersis charum acceptumq; se reddidit.
Anno Dñi. 1591. Annus erat Nonagesimus primus supra Millesimũ Quingentesimum, quo Rex iuuenis & cælebs hortante Senatu de ineundo matrimonio consilia agitare cæpit. Præcipui quiq; suadebant Domum Austriacam legeret, ex qua vitæ & Imperij consortem peteret, sed Cancellarius siue familiæ Austriacæ odio, siue, quemadmodum pleriq; tum opinabantur, quòd nollet Regis potentiam tam illustri affini-
186. tate stabiliri, summa ope niti constituerat, ne Rex & ij qui in ea sententia erant voti potirentur. Hinc nati illi nouo & nunquam audito exemplo priuato consilio coacti conuentus, fictæ quorundam criminationes, quæ in publicum prolatæ ad concitandũ in Regem populi odium multorum in Repub. dissidiorum sequentibus annis causam præbuerunt.

Ex primis Regijs nuptijs aliqui motus in Regno.

Tarnouius quidem, cui ea vna cura erat, vt aduersis conatibus obsisteret, summa animi magnitudine partes Regias tutabatur, in eaq; contentione prudenter moderanda Pstroconij potissimùm consilijs innixus præclarè factionis aduersæ destinata retundebat. Celeberrimus ille Regiarum nuptiarũ actus inuito Cancellario, sed maiori parte Senatus ratum id habente, posteaquam ritè expeditus esset, Rexq; Comitia Varsauiæ in Mensem Septembrem indixisset, Cancellarius ne frustra commotus esse putaretur,

Quos Pstroconij cõsilijs præclarè sedat Tarnouius

retur, quæ de Rege in priuatis illis Conuentibus ſparſerat, ac ſi deſerendi, & ad Auſtriacos deferendi Regni conſilia ſuſciperet, ea ſe probaturum in Comitijs offerebat: Origo eius ſuſpicionis nata nō aliunde, niſi quod Rex ex ea familia vxorem ſumpſiſſet, quam in adeundo Regno potiſſimùm ſibi aduerſam expertus erat: proferebantur Erneſti Archiducis literæ, quibus nonnullorum animos præhenſabat, quibus confirmare nitebatur Cancellarius eum in ſpem Regni venire non potuiſſe, niſi Rege consentiente; de eo inquirendum eſſe. Contra Tarnouius, nequaquam ex dignitate Regni & Regis fore, in Regem, nullius rei conſcium leui ex ſuſpicione inquiri contendebat; non ſe dubitare quin Auſtriaci inhient Regno alieno, ita inter mortales comparatum eſſe, ſibi vt quiſq; potiùs quàm alteri malit, ſtudent Auſtriaci rebus ſuis fortaſſe hominibus noſtris rerum nouarum cupidis ambitioni illorum flammas ſubdentibus, Regem vt á deſerendo Regno, ſic ab ineundis clandeſtinis tranſactionibus alienum ſemper geſſiſſe animum, & nunc nihil magis in votis habere, quam Regnum hoc diuinitus ad ſe ſuffragijs liberis delatum, quoad vita ſuppetet pacatè regere; in eam ſpem decepiſſe vxorem petitam quidem ex Auſtriaca familia, ſed publicè conſtitutis more maiorum pactis, ſolennibus legationibus præmiſſis, nihil in eo ſuſpectum videri poſſe; deniq; ad abolendas veteres iniurias, ſtabiliendamque inter Regna vicina amicitiam, vetuſtas neceſſi-

187. Partes Regias egregiæ de ſententia Pſtroconij tutatur Tarnouius

 tudines

tudines noua affinitate firmandas fuisse, pacem exinde stabilem & constantem secuturam, nec relictum iri locum suspicionibus, quæ in Regem temere hactenus coniectæ fuissent. Hæc vltro citroq; datis scriptis, in quibus potissimùm industria Pstroconij versata est, agitabantur. Et sanè nisi Tarnouius graui oppressus morbo domi se continere cogeretur, nunquam eo, quod illo absente factum esse, rem deduci passus fuisset, vt Rex parum decenti & minimè necessaria cõfessione ab aduersarijs extorta nomini suo notã inureret, seq; ab Austriacis de Regno illis tradendo appellatum fuisse fateretur. Neque enim, vt postea compertum est, vnquam Austriaci eiusmodi quidpiam palam á Rege postularunt. Sed cum alij quieturi esse aliter non putarentur, parum cauto quorundam consilio, cuius author erat Andreas Opalenius Regni Marschalcus,
188. Rex vt schedam hoc nomine confectam subscriberet, sibi persuaderi passus est. Mors deinde Ioannis Regis Sueciæ altero anno secuta, suscipiendæ eò profectionis Sigismundo Regi necessitatem fecit, vt & iusta patri persolueret, & possessionem hæreditarij Regni adiret; pauci erant qui Regem trans mare euntem sequi vellent, nec Tarnouius omnes quorum operâ in functionibus Cancellariæ vtebatur secum ducere poterat, quamobrem omnis negociorum moles in Pstroconium incubuit, quæ quàm grauis & operosa fuerit non attinet dicere. Res Sueticæ initio pacatæ videbantur, Rex fidei subditorũ

Regem in Sueciam abeuntem comitatur cum Tarnouio Pstroconius.

confi-

confisus inermis eò iuerat, id Carolus Regis patru-
us conspicatus, iniquissimis legibus & conditioni-
bus Regem circumscribendi, quoad occupandum
Regnum viam sibi sterneret, audaciam sumpsit, au- 189. Insanos Succorum contra Regiam Maiestatem conatus egregiè retundit Tarnouius.
surus vel in ipso Coronationis Regiæ actu multo
plura, nisi incredibili quadam animi constantia Tar-
nouij, nefarij ipsius conatus detecti & fracti fuis-
sent, nam cùm die quadam clam cum conscijs con-
spiratione facta, eo animo præter solitum comita-
tus in arcem Vpsalien. venire constituisset, vt Regi
iniquissimas conditiones ferret, & nisi ijs assentire-
tur obedientiæ eius nuncium remitteret; Tarnouius
longè ante quid ille moliretur sagaciter odoratus,
Rege præmonito, omnes quotquot erant Poloni,
qui cum Regio peditatu non vltra mille erant, in ar-
mis esse iubet, portas arcis arctâ, sed non apertâ cu-
stodiâ circundat, Carolo cum suis ingrediendi po-
testatem facit, cætera turba quæ confusè arcem in-
gredi volebat exclusa, indignantem propterea Ca-
rolum, ac nescio quid contumaciùs proloquentem
minaciter interpellat, ipsi & Suecis ingratum eo-
rum erga Regem animum exprobrat, se non ignora-
re cuius rei caussâ venerint, priùs cum vniuersis Po-
lonis paratum esse vitam profundere, quàm pati
quidquam indignum Regia Maiestate fieri, illum
primum exitio capitis sui perfidiæ suæ litaturum.
Hæc vehementi vultus & totius corporis concitati-
one. Simul Carolo nunciatur portas Arcis custodi-
ri, ille scelere vecors pallere primò, mox in cuius
crimi-

criminis ſuſpicionem vocetur, ſe ignorare ſimulare. Actum eo die fuiſſet facinus memorabile, prouiſumq; ijs tempeſtatibus quæ á Carolo concitatæ, & Sueciam interuerterunt, & Regno Poloniæ maxima incommoda intulerunt, ni Rex ſiniſtras ſuſpiciones veritus Tarnouij impetum retinuiſſet. Regina quoq; tùm partui vicina ad ſedandam eam concertationem ſe interponebat, id tamen tùm effectũ, vt Carolus multum de ijs quæ animo conceperint, remittens, longè faciliorem ſe præberet, ſeu vt veriùs dicam, cùm apertè obſiſtere non auderet, ſe Regiæ voluntati obſequi velle ſimularet, clam tamen res ſuas ageret. Coronatione peracta, cùm & Rex Carolo meritò parùm fideret, & ille non obſcurè quid animo moliretur oſtenderet, Tarnouius vt

190. Pro dignitate ſecuritate Regiæ Maieſtatis in Succia, ſolus cum Pſtroconio maiore operâ laborat Tarnouius

ſecurum Regi è Suecia diſceſſum, deq; rebus Sueticis diſponen. liberam facultatem prouideret, cum ſolo tantum Pſtroconio communicato conſilio mihi demandat, vt ad certos Proceres Polonos literas Regis nomine ſcriberem, quibus ſignificabatur quo in periculo Rex eſſet; res iſta adeò ſecretò tranſacta tractataq; eſt, vt non modò Sueci, ſed ne noſtri quidem qui cum Rege erant priùs ea ſubſidia in Polonia parari præſentire poſſent, quàm circiter tria millia lectiſſimorum virorum Dantiſci naues conſcenderint, ac proſpera vſi nauigatione in portum Stocholmien. appulerint: fuerunt autem è præcipuis duo Czarnkouij, Andreas & Ioannes, Staniſlaus Warſzycki Cobrinenſis tunc Capitaneus, poſtea

Varſauien. Caſtellanus, poſtremò nunc Supremus Regni Theſaurarius, Adamus Stadnicki ab Hieronymo Goſtomski Palatino Poſnanien. ſocero ſuo miſſus, Staniſlaus Bykowski Caſtellanus Lancicien. nunc Palatinus Siradien. Erneſtus Weiher, cæteriq; alij euocatorum lectiſſimam manum ſecum trahentes. Inuitabat tùm Rex Carolum ad leuandam de ſacro fonte recens ſibi natam prolem, ſimul de conſtituendis rebus Sueticis ſe cum illo conſilia communicare velle oſtendebat. Sed ille ſuſpectum habens Regis apparatum, & ex conſcientia ſceleris ſiniſtrum aliquid de Rege ſuſpicans, excuſatione vſus venire renuit. Rex itaq; ſummâ rei certis guberna- 191.
toribus commiſsâ, admirantibus Suecis tantam Po- Regis ac
lonæ gentis erga Regem fidem & amorem, qui ma- Polonorũ
ris immenſa ſpatia eos emetiri coëgit, ſumma omni- læta è Sueciæ diſceſſio.
um Polonorum lætitia è Stocholmen. portu ſub finem Iulij, Elſnabo verò vbi aduerſo vento detentus complures dies in anchoris ſtetit, medio Auguſto ſoluit, Gedanumq; feliciter appulit. Hæc quæ á me commemorata ſunt, parum ad Pſtroconium pertinere videri alicui poſſunt, ſed id á me propterea factum, vt ex eo æſtimaret poſteritas, quid de illo ſentire debeat, qui tantis rebus gerendis & moderandis non modò interfuerit, verùm etiam communi cum Tarnouio conſilio penè præfuerit; nam Tarnouius nihil maioris momenti niſi ex eius ſententia aggredi ſolitus, omnia ad eum referebat, vt ab eius prudentiſſimis conſilijs pendere totus videretur.

In ea

In ea cum Tarnouio coniunctione, toto eius Vicecancellariatus tempore constanter mansit, vt nulla vnquam inter eos intercesserit animorum mutatio, in omnibus è contra Pstroconius Tarnouio satisfecerit, voluntatiq; & rationibus illius se accommodauerit, ac Regi inprimis fidem & obsequium, & ad

192. Tarnouio ad Posnanien. Episcopatum euecto secessionem ab aula Regia meditatur Pstroconius, iam tũo Præpositus Lancicien. factus.

res gerendas industriam egregiè probauerit. Tarnouio autem ad Episcopatum Posnanien. assumpto, auctus Pstroconius Præpositura Lancicien. & si eo loco se in Regis gratia esse non ignoraret, vt prima occasione se ad aliquam maiorem dignitatem promotum iri non dubitaret, tamen pia quadam consideratione aulicas occupationes minùs dignas sacerdotali ordine existimans, magnopere cepit affici vitæ priuatæ desiderio, maximè cùm videret orbem aulicum esse conuersum, Vicecancellariatum delatum Petro Tylicio Episcopo Culmensi, de cuius erga se beneuolentia non poterat sibi multum polliceri, quod is Cancellarij gratiâ promotus Tarnouianam factionem exosam habiturus existimaretur. Et erat occasio non importuna secedendi ab aula, quòd Rex eo tempore nuper in puerperio amissa vxore nouam in Sueciam profectionem moliretur,

193. Eum ab hac sententia abducit obiurgatum Tarnouius & in Sueciam Regem

facileq; ijs qui in aliquo magistratu non essent, daretur facultas manendi in Polonia. Sed Tarnouius vbi ea mente intellexit esse Pstroconium, obiurgatum amicè, grauissimis rationibus impulit ad mutandam sententiam, Regiq; intimè commendatum in Sueciam proficisci iubet; plena periculi erat ea

expedi-

expeditio, nam Carolus apertè Regi hostis, classem, maritimumq; omnem apparatum, quo Regni Sueciæ vires potissimum continentur, inuaserat, & in sua potestate habebat, ita vt Rex mercatorijs nauibus ad traijciendum mare transportandasq; pedestres copias (quæ quinq; circiter millibus censebantur) vti necesse habuerit. Dederant fidem Proceres Sueciæ, vt primum Rex litus Sueciæ attigisset, se Equestribus copijs Regis exercitum suppleturos, veneranto; non infrequentes ad Regem, postquam is primo in terram excensu, ac nominis sui terrore Calmariam arcem munitissimam recepisset. Suadebant nostri vt coniunctis viribus Rex terrestri itinere penetralia Regni peteret, præuenturus hostem planè eo tempore imparatum, ac facilè omnia in suam potestatem redacturus. Sed Sueci veriti, ne si Rex terra iter faceret militari insolentia, cùm id tẽpus messis esset, agri vastarentur, dum maturis suis frugibus parcunt, Regem in maximum discrimen coniecerunt, nam eorum, ne quicquam dissuadentibus Polonis, secutus consilium, conscensis iterum cum ijs, quas è Polonia adduxerat copijs nauibus, in altum reuectus coorta tempestate, ac vniuersa ferme classe toto æquore disiecta, vix cum aliquot nauibus Streliburgensem portum, quem conueniendæ sororis caussa, ac quod eò Sueticas copias vẽturas sperabat potissimùm petebat, tenere potuit. Reliquæ naues militibus onustæ, in diuersos eiectæ portus eũdem cursum tenere non potuerunt. Non

comitari rursus præcipit.

194. Aduentus Regiæ Maiestatis in Succiam.

195. Tempestate disiecta Polonorũ classis & copiæ.

 ignarus

ignarus eius rei Carolus classem inprimis ad intercludendum in eo portu Regem expedit, ipse cum Exercitu Stechburgum versus contendit, quo etsi aliquot vexilla Equitum Sueticorum Regis stipendio inauctoratorum venissent, tamen exigua in eis auxilijs spes erat, quòd artibus Caroli corrupti suspectæ essent fidei, palamq; ostenderent se contra

196. Res Sueticæ turbulentæ.

Suecos alios non esse pugnaturos. Superuenit interea Carolus, ac cùm id vnum cuperet, vt classi quam sub idem tempus eò appulsuram credebat iungeretur, incautè progressus non ante errorem agnouit, quam à Regio exercitu Ducibus ea opportunitate egregiè vsis circumueniretur, planicies erat mari adiacens, septa montibus, in eam Regij Duces Carolum descendere passi subitò angustias omnes occuparunt, ab altera parte Regiæ naues dispositæ, ad litus latera Exercitus Suetici tormentorum ictibus quatiebant. Erant in Exercitu Caroli peditum equitumq; circiter sedecim millia, sed non multùm in bellis exercitatorum, Rex non amplius tria millia habebat peditum, quibus tamen tantum animi fuit, vt ad expugnandum hostilem Exercitum loci opportunitate adiuti suffecturi putarentur. Et sanè debellatum eò die fuisset, ni Rex mitiorem secutus sẽtentiam signum belli dare vetuisset. Nam Sueci qui cum Rege erant, appellati eo nomine à Carolo, cõditionibus æquis rem se composituros pollicebantur, fraudenè id fecerint, an à Carolo decepti fuerint, affirmare non ausim, illi se veritos esse asserebant,

bant, ne si flos iuuentutis Sueticæ sub ictum daretur, vires Regni sui eneruarentur, pleriq; tùm suspicabantur eos nequaquam plenæ Regem victoriæ potiri voluisse, vt eo ipso suam quoq; potentiam stabilirent. Ille certè dies partes Regias afflixit, nam paulò post classis Caroliana plenis in portum inuecta velis Regias naues disiecit, partemq; eam qua Regius Exercitus tutus erat, ac ipsammet Regis stationem infestare cepit, & breui in summas redegit angustias, ita vt noctu silenti agmine eo loco Rex excedere coactus fuerit. Pauci è comitatu Regio equos habebant, quibus terrestri itinere faciendo vti possent, videre erat plerosq; abiectis sarcinis, nisi si quid auri vel argenti in promptu erat, quod commodè apportari posset iter pedibus, emetientes, omnibus exutos impedimentis; Pstroconius eo tempore magnum adijt periculum, nam equo labente parum abfuit quin in potestatem hostis terga abeuntium infestantis venisset, Diuino tamen beneficio recuperato, mox qui aufugerat, equo seruatus est: eximia tùm eius animi constantia cæteris metu consternatis enituit, nam vt erat faceto & amæno ingenio, quid inquit tantoperè vos ista aduersa sors perturbat? quin vt ille Philosophus exutus opibus. Ergo iterum ad pallium & baculum fortuna, nos quoque idem in præsenti rerum statu vsurpemus? Id cùm non nemo è Secretarijs Regis Stoicam Sectam tristi vultu præferre solitus molestè ferret, vulgatoque Kochanouij versu, non sanæ mentis eum

197. Poloni periclitantur in Suecia.

198. Ibidem periculum adit Pstroconius.

199. Magnus & constans a-

nimus inter periclitandum Pstroconij. esse qui in rebus aduersis rideret, hilaritatem Pstroconij proscinderet. Tu verò ipse minùs sanus es, (inquit Pstroconius) qui mihi in mala re mentem bonam adimis; Ego quod ad me attinet ita paratus huc veni, vt ea quæ acciderunt euenire posse non dubitarem, & ad ea ferēda animo obfirmato essem, tu si hæc fieri posse ante non expendisti, non mirum si nunc metu consternaris, animoq; concidas. Cōmisso ad Lincopincum prælio, rebusq; Regijs in an-

200. Res Polona prodita in Suetia. gustum redactis, posteaquam Rex cum Carolo in colloquium venisset, conuenerat, vt dimissis vtrinque copijs Rex nauibus Stocholmiam proficisceretur, indictisq; Comitijs de mutuis iniurijs isthic trāsigeretur; plena erat ea profectio periculi, & meritò suspecta omnibus, Rex tamen cum datam Carolo fidem seruare statuisset, ita se parabat vt ad condictam diem Stocholmæ esset plerisq; ac inter eos Tylicio Vicecancellario, & Simone Rudnicio Regente Cancellariæ missionem petentibus, Pstroconius se Regem in omni quod accidere posset pericu-

201. Ceteris missionem petentibus Pstroconius Regi constanter adheret. lo non deserturum professus est, ac se mansurum cum Rege pollicitus, cæteris animum addidit, pauidos verò in ruborem dedit, quæ res fuit admodum grata Regi, qui mox animaduersis Caroli technis, compertoq; sibi ab eo fucum fieri, & insidias comparari, mutata sententiâ, conscensa naui classem Calmariensem portum petere iubet, expertus in ea nauigatione maximam maris tempestatem, eaq; pericula quæ de Mense Nouembri nauigantibus euenire

nire solent, imposito tamen Calmariæ præsidio disiecta ventorum vi classe, ipse ad litus Pomeraniæ nauē adegit, scaphaq; ad terram vectus curru Dantiscum delatus est; vbi aliquot naues, ac inter eas illa quoq; quâ Tylicius, Pstroconius, cæteriq; fere præcipui vehebantur, antea appulerant. Hunc finem habuit ea Regis in Sueciam expeditio, ex qua Pstroconius magnam constantis animi laudem retulit, rebus suis omnibus, cum pauci essent, qui maxima damna non accepissent, saluis. Varsauiæ post- 202 Ex Suecia reuersus, Pstroconius Commētarios itineris Suetici ac rerum ibi gestarum per otium conficit.
quam eò Rex venisset, nactus otium, cùm nullum publicū munus gereret; res in Suecia gestas, caussasque eorum motuum explicare, & scripto comprehendere cæpit, reliquissetq; egregium ingenij sui monumentum, nisi fato quodam elegans illa lucubratio nondum planè perfecta perijsset. Intercedebat eo tempore non mediocris dissensio inter Stanislaum Carncouium Archiepiscopum Gnesnensem, & Hieronymum Rozdrazowski Episcopum Vladislauiensem, causas eius non attinet dicere, ne summorum virorum parum sedati animorum motus famæ & nomini eorum notam aliquam inurant, illud tamen adijcere libet, Karnkouium facili & hilari animo contemnere solitum arrogantiam aliorum, grauem contra Rozdrazeuium, & omnia actionum momenta expendere assuetum, ac propterea suspicacem; hinc inter dissimiles orta discordia, quæ ne 203. Ex Regis commissio-
Reipub. negotia impediret Rex prospiciendum ratus, dat negocium Pstroconio, eius controuersiæ

 suo no-

suo nomine componendæ. Difficilè admodum erat vtriq; persuadere, vt æquis conditionibus, de eo quod inter eos controuersum erat, transigi paterentur, obstinacior Rozdrazeuius, iurisq; sui tenacior, videbaturq; Pstroconius frustra niti, sed cùm Rozdrazeuius præclarè de ipsius pietate sentiret, non poterat nisi accomodare aurem dictis & persuasionibus eius, quibus tandem fractus & emollitus, totum se arbitrio Pstroconij permisit, nec Karnkouius diu moratus se quoq; quidquid Pstroconius censuisset æquo animo laturum ostendit, ita ille prudenter vsus ea potestate, æquissimo iudicio lites composuit, omnesq; occasiones, quibus animi tantorum virorum inuicem exasperari possent sustulit, ac vtriq; ob eam causam gratus admodum per literas Regi diligentissimè commendatus fuit. Erat tum in aula de eius virtute & meritis ea opinio, vt omnium iudicio aliquo maiori Magistratu cohonestandus censeretur, cuius rei adfuit breui occasio. Ioannes

ne graues controuersias inter Archiepisc. Gnesnen. & Episc. Kuiauien. cōponit Pstroconius.

204. Galczinius Referendarius Regni, non diuturno sed acri correptus morbo cessit è vita, Rex tum iuri dicundo vacabat, igitur ne qua mora iudicijs exercendis fieret, viuo adhuc Galczinio causarum referendarum munus contra voluntatem Tylicij qui id ad alterum deferri volebat, iubet obire Pstroconium, exploratаq; ipsius industriâ, statim à morte Galczinij cùm alias in eiusmodi occasionibus diuturna deliberatione desideria ambientium torquere solitus sit, magistratum ipsum non multùm ambienti, atq;

Regni Referendarij vices subit ac dein extincto Ioāne Galczynio creatur Referendarius.

omni

omni externo ſuffragio deſtituto, ſed à virtute & doctrina commendato confert. Dici non poteſt quanta integritate in eo munere quod grauiſſimum eſt obeundo verſatus fuerit. Inprimis morem inueteratum iudicati nomine, vel vt cauſſa priùs in iudicio proponeretur ſportularum vel munerum exigendorum ſuâ abſtinentiâ ſuſtulit, deinde pupillorum & egenorum ſuſcepto patrocinio, ad expediendas eorum lites, qui diuturnis iuris anfractibus vt plerunque fit fortunas ſuas corruperant, omni ſtudio incubuit, ab omni ſorde alienus, grauis in dicenda ſententia, expeditus in percipiendis cauſis difficillimis, niſi quòd in explicandis animi ſenſibus maiorem facilitatem quidam in eo deſiderarent, nec enim prompta & fluens illi facundia fuit, prudentem magis quàm eloquentem dixeris, quanquam nec ea laude caruit, non modò vt meditata & improuiſa, ſed ſubita etiam promptè expediret. Sed illi in eo Magiſtratu magnam adferebat difficultatem non multum propenſus erga ſe Tylicij Vicecancellarij animus, quem etſi omni modeſtia & obſequio demereri ſtudebat, tamen ille naturâ aſperior, non libenter videbat Pſtroconium aliquas in Regis gratia partes habere, vel ad ſpem maioris alicuius dignitatis accingi, offenſus poſtremò quòd Præpoſituram Gneſnenſem, quam cum Epiſcopatu Culmenſi beneficio Regis & Sedis Apoſtolicæ reſeruatam tenuerat, & poſteaquam Epiſcopatum Warmien. adeptus eſſet ſe illâ abdicauerat, á Rege Pſtroconius

205. Qualem ſe in hoc Magiſtratu virum exhibuerit.

206. Pſtroconius Gneſnē. Præpoſitus.

conius obtinuiſſet. Igitur primâ quæ oblata eſt oc-
caſione ab aula ſe ſubducendi vſus Epiſcopatum
Præmiſlien. multùm diſſuadente Tarnouio cum re-
ſeruatione Præpoſiturarum Gneſnen. & Lancicien.
207. deferentibus ijs ipſis quibus ſtimulante inuidiâ gra-
tum erat eum ab aula longiùs ſubmoueri, accepta-
uit: dicere ſolitus minimè conuenire ijs qui ſacris
addicti eſſent, diutiùs in aula morari, eorum offici-
um eſſe procurare ſalutem humanam, eaſque inire
rationes quibus quamplurimi ad rectam virtutis, &
pietatis viam reduci poſſent. Cæterum diligenter
expendens quem iniret vitæ ſtatum, ita ſe compara-
bat vt vocationi ſuæ quoad eius fieri poterat reſpõ-
deret, ac memor ſuæ cum Carncouio coniunctio-
nis, ab illo Epiſcopus more ſolenni inaugurari vo-
luit, ac eius rei gratiâ, & præterea voti ad aram D.
208. Adalberti perſoluendi causâ Gneſnam vſque profe-
ctus eſt, benigneq; á Carncouio exceptus & conſe-
cratus, cùm is quantoperè fidei & pietati Pſtroco-
nij fideret teſtari voluiſſet, ſciretque eum aliquot
ſeptimanis in Archidiœceſi Gneſnen. moraturum,
totam Epiſcopalis muneris functionem cum illo
communicauit. Conuento deinde in Arce Ciecho-
cinenſi Tarnouio (Epiſcopus Vladiſlauien. iam is á
Rege renunciatus erat) in Siradien. Territorium,
poſteaquam Archiepiſcopum Lanciciæ iterùm ſa-
lutaſſet diuertit, atque in paterno prædio paulò
209 minùs vno Menſe exacto, vicinas quaſque Eccleſi-
as ſecundùm acceptam ab Archiepiſcopo poteſta
tem in

207. Vt ſe ab aula remoueat, Epiſcopatum Præmiſlien. fruſtra diſſuadentibus amicis, acceptat.

208. A Carnkouio Gneſnẽ. conſecratur.

209. In Archidiœceſi ita

tem inſpexit, ſtatumque illarum explorauit, multa templa recens conſtructa conſecrauit, multa millia hominum ſacro chriſmatis oleo inunxit, in eoque opere ita diligens ac ſedulus fuit, vt nec valetudini nec ſibi ipſi parcere vellet, ac planè rudimenta functionis ſuæ in aliena Diœceſi deponere ſtuderet. Poſtea in Ceſtochouien. Monaſterij toto orbe celeberrimo Diuæ Virginis templo ſacris operatus, votiſq; exolutis, ad Epiſcopatum ſuum profectionem ſuſcepit, quò poſteaquam peruenit, totum ſe planè ad obeundum officium illud diuinitus ad ſe delatum effudit, non ad honorem & ad dignitatem, ſed ad labores & ſolicitudines ſe vocatum dictitans. Cuius rei memor, in ipſo ſuſcepti muneris initio eò animum intendit, vt inſtituta totius Diæceſis vniuerſali viſitatione ouile gregemq; ſuum exactè recenſeret, quod ita præſtitit, vt triennio toto huic rei impenſa operâ nullum paulò illuſtriorem in tota Diœceſi locum prætermiſerit, quem non adierit, rationeſq; Eccleſiarum & eorum qui ijs præerant diligenter examinauerit, ac legibus quæ ad Cleri reformandos mores, populumq; ad pietatis ſtudia incitandum pertinerent latis, plurima in priſtinum ſtatum reduxerit, ſæpè ipſe è publico ſuggeſtu concionatus, nunc cohortationibus, nunc ſanctiſſimarum actionum exemplo cæteris præeundo, arguendo obſtinatos, vnum quemq; ſalutis ſuæ commonefaciendo, pij & diligentis paſtoris munus obibat, & vt omnes officij ſui admoneret, edictum contra v-

volente Archiepiſcopo Epiſcopalis officij rudimenta ponit, templa conſecrando, & in vniuerſitatis Eccleſijs chryſmate fideles Vngendo.

300. Viſitat Vniuerſam Diœceſim ſuã

ſurarios & concubinarios promulgari fecit, grauiſſimas & à iure præſcriptas pœnas proponens ijs qui eiuſmodi criminibus tenerentur. Acciderat vt tem-
301. plum Cathedrale, orta inter Ioannem Thomam Droiouium Referendarium Regni ac Capitaneum Præmislienſem, & Stanislaum Stadnicki de Lesko pugna, tormẽtorum ictibus ac cæde nonnullorum in ipſa templi ſacra area perpetrata violaretur: indignè eam rem vt par erat ferens Epiſcopus, omnibus aditu Eccleſiæ interdixit, eum qui ſeditionis author erat á ſacra communione remouit, Capitaneus is erat Præmislienſis homo potens ac factioſus, qui cùm initio decretis Epiſcopi nequaquam obſecundaturus putaretur, eò tamen poſtea ſe demiſit vt veluti præſenti numini ſacris veſtibus induto Epiſcopo, & extra limen Eccleſiæ progreſſo ad genua aduolueretur, ſupplexq; cunctis vehementer admi-
302. rantibus veniam facti precaretur, atq; impoſitam eo nomine ſibi pœnam vltrò ſuſciperet. Eadem animi conſtantiâ vſus aliquot ſacras ædes ab Hæreticis occupatas Catholico ritui reſtituit, prouiſioneſque earum recuperauit. In propagando cultu Diuino ſedulus, non modò idoneos verbi diuini præcones conquirebat, ſed ipſe etiam idem munus ſæpè obibat; inter alia pietatis ſtudia pauperum & egenorum peculiarem curam habuit, ac vt decenter & religioſè in Xenodochijs Noſocomijſq; degerẽt, omni ex parte prouidit; Litaniarum veſperi quotidie recitandarum vſum in eiuſmodi collegia introduxit, ac lege

In Templi Cathedralis Præmiſlien. Violatores grauiter animaduertit nihil veritus eorum potentiam ac familiæ ſplendorem

Magno & conſtanti animo Tẽpla ac reditus eorum ab Hereticis recuperat.

ac lege perpetua id ipſum ſanxit. Et vt, quemadmodum exiſtimaret, curam pauperum Epiſcopo incumbere demonſtremus, argumento ſit, quòd deſignatus adhuc Epiſcopus, dum Rex Corcini peſte eo tempore & fame circa quaq; graſſante verſaretur, ac plurimi eò opis implorandæ causâ confugerent, ille egenorum patrocinium ſuſceperit, veſtes alimentaq; prouiderit, & gregem pupillorum in claſſes diuiſerit, alios artibus mechanicis erudiendos tradiderit, nonnullos obſequijs locupletiorum addixerit, omnium vti pater curam geſſerit, aulâ totâ Regis inſpectante, & optimi Antiſtitis pium erga egenos affectum mirante probanteque. Iaſlicijs certè oppido Epiſcopatus Præmiſlien. ædes pauperibus alendis conſtruxit & dotauit. Brzozouien. Xenodochium prouentibus annuis auxit. In coërcendis puniendiſq; ijs qui in aliquo deliquerant ſeueritatem manſuetudini permixtam adhibebat, contentus ſæpè ſi quis maximè ex Clero verborum illius efficaciâ permotus facti pænitentiam lachrymis teſtaretur. Aliquem ſemper Sacerdotem, qui omnium ſuarum actionum inſpector & teſtis eſſet ſecum habebat, eumq; pietate inſignem ac potiſſimùm aliquem è Societate IESV deligebat. Quo die in Epiſcopum conſecratus eſt, veſtem cilicinam clam comparatam ſumpſit, totoq; triennio detulit, alijs item ad domandos inordinatos carnis motus vſus remedijs, extraordinarijs abſtinentijs, ieiunio etiam Aduentus Domini quod illi ſolenne erat,

303. Mira Pſtroconij Epiſcopi erga inopes pietas.

304. In delinquentes benignus, in ſe auſterus cilitium quod die conſecrationis ſuæ ſūpſit ad triēnium non depoſuit.

 quotan-

quotannis exactiſſimè obſeruato, ſe macerabat. Iam verò in Politica Epiſcopatus adminiſtratione, eaq; muneris ſui parte quæ ad Senatoriam functionem pertinet explenda excellens admodum fuit.

305. Epiſcopi & Senatoris dignitatem grauiſſimè tuetur in Ruſſiæ cõuentibus.

Exigua erat antea in Ruſſiæ conuentibus Epiſcopi Præmiſlienſis authoritas, quòd ea non multum opibus pollens tantorum Procerum, quibus ea prouincia abundat, potentiâ obſcuraretur; Sed Pſtroconius initio ſtatim ſuſcepti Epiſcopatus, nunc hos, nunc illos ſibi adiungendo, ac officijs amorem primariorum ſibi conciliando effecerat, vt longè aliam de ſe homines conciperent opinionem, exiſtimarentq; illum arbitrio alieno non addicturum ſua cõſilia, ſed ea ex animi ſui ſententia moderaturum, id quod primo qui Viſnæ erat indictus conuentu, luculenter ſatis oſtendit, nam magno Procerum numero qui eum honoris causâ deducebant eò ingreſſus, in expediendis conſilijs publicis facilè primas partes tenuit, ita vt & ſententia ipſius ab omnibus comprobata eſſet, & cùm antea Senatores omnes dictis ſententijs excedere loco conſilij, quo

Anno Dñi. 1603.

Equeſter Ordo priuatim de rebus deliberare poſſet, ſolerent, tunc publico omnium conſenſu quod Nobilitas multum candori Epiſcopi fideret, illum & alios Senatores retinuerit, nec aliter niſi illis præſentibus & præſidentibus conſilia ſua ſe expedire velle oſtenderit.

306. Dicta primum in Senatu à Pſtro

Quanta authoritate in Comitijs Cracouienſibus Anno Milleſimo Sexcenteſimo Tercio celebratis, quæ prima poſteaquam Epiſcopus factus

ctus esset fuerunt, sententiam dixerit, & quam spē de se concitauerit, non attinet recensere, illud sanè constat neminem tunc fuisse qui partium factione infectus non esset, qui illi Vicecancellariatum, quo per leges Regni Tylicius Episcopus Varmiensis diutius fungi non poterat, deberi non putaret, quæ res mouit Cancellarium, vt omni conatu ad retinendum in Magistratu Tylicium incumberet, quod demùm Terrarum Nuncijs Tylicium lege soluentibus obtinuit. Reuersus ad Episcopatum, in eo constituendo omne tempus impendit, inprimis autem de iuribus bonorum Ecclesiæ diuturnas controuersias cum potentibus vicinis ortas, & in varias lites productas mirâ quadam solertiâ sustulit, finibusq; certis fundum Ecclesiæ circumscripsit, ne qua deinceps de eo quæstio oriri possit, prædia nonnulla restaurauit, vnum etiam extirpatis excultisque agris construxit. Oppidum Iaslicien. in finibus Regni Hungariæ situm, mercatu vini nobile, muris cingere aggressus non mediocri parte eius operis effecta, posteris eius munitionis perficiendæ exemplum reliquit. Grauis eo tempore in Regno Poloniæ familiam Diui Dominici discordia agitabat, paucorum factione seiunxerant se Monasteria Russiæ ab obsequio eius Ordinis per Poloniam Præfecti, denique eò vsq; ambitio discordias fouentium processerat, vt magno religionis dehonestamento, ad arma & cædes esset ventum, his illos è Monasterijs exturbantibus. Proceres pleriq; prout erga alteram eo-

conio sententia, quātum Illi cōmendationem conciliauerit.

307. Episcopatū suum ab iniurijs vindicat ac in splendorem pristinum restituit.

rum partem affecti erant, Episcopi etiam alij Rus-
308. sis, alij Polonis fauebant, opemq; ferebant. Res a-
gebatur magna contentione non in Polonia modò,
sed in Vrbe ipsa, adeò vt Clemens VIII. Pontifex
Max. manum supremæ potestatis ad comprimendã
eam seditionem admouere coactus fuerit. Igitur is
dat negocium Pstroconio cognoscendæ eius causæ,
qui solerti adhibita industria, posteaquam vtriusq;
partis rationes expendisset, graui Oratione castiga-
ta virorum religiosorum minùs religiosa contentio-
ne, persuasit vt depositis odijs æquas, quas ille præ-
scripserat, concordiæ conditiones acceptarent, ita
tùm perniciosum Schisma extinctum, & dignitati
Ordinis in Ecclesia Catholica suo merito illustris, o-
ptime consultum est. Interea fit certior Pstroconi-
us Ioannem Tarnouium Archiepiscopum Gnesnen-
sem supremo grauatum morbo, in summo vitæ pe-
riculo versari. Paulò antè is Stanislao Karnkouio
immortali memoriâ digno Antistite, qui Ecclesi-
am Gnesnensem Collegiumque eius beneficentiâ
suâ ita auxit, vt quod nunc eum splendorem retine-
at, illi potissimùm acceptum ferat, vita functo, Ar-
chiepiscopus Gnesnensis Regis beneficio renuncia-
tus erat, prælatus in ea petitione Tylicio qui ma-
gnoperè eam dignitatem quæ prima est in Repub.
concupiuerat, non solùm quod locus is vetusta con-
suetudine Episcopis Cuiauiensibus deferri solitus
fuerit, verùm etiam quod Tarnouius sua animi ma-
gnitudine partisque opibus, & tantis quas sibi com-
parauerat

A Clemente VIII. P. Max. arbiter ad componendas in Diui Dominici per Russiam & Poloniam controuersias constitutus, rem inter dissidentes feliciter componit.

309. Ioannis Tarnouij Archiepiscopi Gnesnen. morbus supremus.

Qua ratione in Archiepiscopum euectus fuisset.

parauerat clientellis, eorum conatus qui de Rege in ordinem redigendo consilia inibant repressurus, & Regiam dignitatem Primatiali potestate asserturus putaretur. Quam conceptam de se expectationem vt non modò conseruaret verùm etiam augeret, ita se statim comparabat, vt splendore nominis sui & liberalitate in pristinum statum Archiepiscopalem dignitatem restitueret; cuius rei caussa præter splendidissimum & numerosum aulæ comitatum complures magni nominis Senatores sibi adsciuerat, qui illi præsentes essent, & quorum operâ in consilijs expediendis inniteretur, maioreque apud omnes esset authoritate: Gnesnam eo apparatu ingressus, vt suâ magnificentiâ omnes qui vnquam in eo genere clari & illustres erant, cunctorum confessione superarit, vniuersamq; Poloniam in admirationem sui conuerterit. Erat ei idem de Repub. sensus cum Sigismundo Miscouio consanguineo suo Supremo Regni Marschalco, ac præcipuum hominum opinione in Regis gratia locum eo tempore tenente, vtriq; idem studium Regiæ dignitatis conseruandæ, quorum potentiâ cùm in tantum excreuisset, vt sua factione quiduis in Repub. effecturi viderentur, Cancellarius sanè siue quòd omninò ita existimauerit, seu inuidiæ in Tarnouium, cuius omnis apparatus valdè illi suspectus fuit, concitandæ caussa, spargit Tarnouium conspiratione cum Rege facta Regnum inuitis Ordinibus per vim in proximis Comitijs in filium Regis Vladislaum Principem

Quãto apparatu Gnesnã ingressus.

Quæ simultates inter eum & Cancellarium interuenissẽt

cipem transferre velle, eiuſdem criminis Miſcouium, ac præterea quod is aſſcitis peregrinis titulis Equitis Poloni modum excederet, inſimulat. Erat tùm quoq; in deliberatione Regis connubium, erãt præterea multa Reipub. negocia, totq; & tam potentes factiones, vt quemnam exitum habitura eſſent futura comitia incertum eſſet, maximè quòd in ijſdem Vicecancellariatus, Tylicio Epiſcopatum Cuiauien. adepto, alteri cuipiam conferendus eſſet, qui ne ad eum qui alterius factionis eſſet deueniret,

400. Moritur Tarnouius

Cancellarius ſumma ope adniti conſtituerat. In eo rerum ſtatu vt dixi Tarnouius graui ictus morbo poſteaquam aliquot ſeptimanarum ægritudine vexatus eſſet, piè & religioſè exceſſit è vita. Venerat ad eum Pſtroconius paulò antè quam vitâ functus eſſet, ſed iam à ſenſibus alienatum intercluſo linguę vſu eum repererat, vt nulla de re cum eo conferre poſſet. Delatam autem ad ſe ſuprema Tarnouij voluntate teſtamenti curam ita ſuſcepit, vt nihil prætermitteret, quò ea quæ ille iuſſit rata fierent, in eaquæ re ſummam fidem defuncto amico & benefa-

Eius ſupremæ Voluntatis executor Pſtroconius iuſta Louicij defũcto perſoluit.

ctori ſuo præſtitit. Et ſanè niſi ille ſuam authoritatem interpoſuiſſet, piæ Tarnouij fundationes, in quas ille liberali animo grandem pecuniæ ſummam effudit, in irritum recidiſſent. Iuſtis Tarnouio Louicij perſolutis, rebuſque illius ritè ordinatis conſtituerat in Ruſſiam ad Epiſcopatum reuerti, quo hominum ſermoni ſe ſubtraheret qui exiſtimabant eum Vicecancellariatum ambire, ſed cùm in Comi-

tijs,

tijs, quæ iam indicta erant, insultaturos plerosque mortuo Tarnouio, famamque & existimationem illius calumnijs oppugnaturos prospiceret, veritus ne & defuncti, & suam pariter innocentiam in discrimen conijceret, mutauit sententiam, tantisperque Louicij substitit donec Comitijs inchoandis dicta dies veniret. Quæ posteaquam appetijt profectus Varsauiam amicis hortantibus ne sibi deesset, minimo sanè conatu summa Regis voluntate munus Vicecancellariatus consecutus est, opus sanè maioris quàm alio vnquam tempore negotij. Videbatur enim Rex eum factioni Zamoyscianæ opposuisse, vnumq; è reliquis legisse cui potissimum fideret, cuius prudentia & consilio niteretur. Comitia quidem ea agente Cancellario rebus infectis soluta sunt, Rexq; tantummodo duobus Senatus consultis factis, quorum alterum de connubio Regis, alterum de concedenda Electori Brandeburgensi cura ægri in Prussia Principis fuit, Varsauiâ Cracouiam profectus est. Omnium planè tunc oculi erant in Pstroconium conuersi, in illum omnis incubuit inuidia popularis. Sed profecto est quiddam diuinū in ijs viris qui difficillimo tempore gerendis Magistratibus admouentur, vt peculiari ij Diuini numinis ope subleuati videantur. Erant pleriq; Pstroconio parum æqui, qui nihil minùs quàm huic Magistratui ferendo parem, & mox suo ac Regis dedecore tanto oneri succubiturum eum augurarentur. Sed ille suscepto eo munere, omnes industriæ

401. Pstrokonski Viceca cellarius Regni renunciatus.

402. intendit neruos, ad gerendum ex dignitate Regis & Reipub. eum Magistratum, effecitq; vt non modo Regem non pæniteret hoc eum honore auxisse, verùm etiam reliqui omnes faterentur tali tempore neminem alium aptiorem fuisse qui Regias partes contra maleuolorum conatus accurata publicorum consiliorum moderatione tueretur. Comem & facilem se omnibus præbere, palamq́; animum ab omni æmulatione & maleuolentia alienum ostendere, sincerè vel cum ijs ipsis qui non benè ei vellent agere, quasi innatum illi erat. Ea re effecit vt Cancellarius ipse, posteaquam actiones ipsius propius inspexisset, non malè de illo existimare ceperit, datisq; ad eum literis, & deposita omni simultate ad capessendam Rempub. consiliaq; secum cummunicanda eum cohortatus fuerit. Et sanè si is diutiùs vixisset, effecisset mox Pstroconius suo candore & sincero de rebus iudicio, vt illi non minorem Cancellarius quàm alijs qui ab ipsius arbitratu pendebant, fidem haberet, neq; eo res deuenisset, quò mox vitâ functo Cancellario hi qui, vt aiebant, ex mente Cancellarij præposteris consilijs ingentem in Repub. motum excitarunt, progressi sunt. Sed cùm Cancellarius quarto ab exactis Comitijs Mense Anno salutis humanæ Millesimo Sexcentesimo Quinto in viuis esse desisset, non modo tota negotiorum moles in vnum incubuit Pstroconium, verum etiam ea quæ viuente Cancellario à quibusdam agitata dicebantur, de indicendo Conuentu Rocosiano consilia

Eximia Pstroconij Vicecancellarij in obeundo suo munere solertia.

403. Suo candore frangit Cancellarium enmq; sibi ex hoste comparat amicū.

404. Rokoszy initia.

ſilia in apertum proruperunt, authore Nicolao Zebrzidouio Palatino eodemque Præfecto Generali Cracouien. viro acri, non ita pridem Regiâ gratiâ florenti, & eo offenſo popularem auram ſiniſtra Regiarum actionum interpretatione captanti; quæ res quantum in Repub. mali pepererit, quibuſq; diſsidijs pacatum Regni ſtatum exagitauerit, ac poſtremò ciues ipſos in mutuam perniciem armauerit, alio loco á nobis narratum eſt. Ad Pſtroconium quod attinet, ille pacatorum conſiliorum auctorem ſe
præſtitit ſemper, tum potiſſimùm cernens grauari 405.
Regiam exiſtimationem confictis criminibus, odiumq; populi augeri, eò incubuerat, vt conciliandis hominum animis creſcentem inuidiam minueret. ac inprimis Staniſlaum Zolkieuium tunc Caſtellanum Leopolien. ac Præfecturæ Exercituum Regni pro Zamoſcio vicarium, vnum ex intimis amicis Zamoſcij, virum recti iudicij & priuatis rationibus publicam ſalutem anteferentem Regi conciliauit; effecitq; vt mortuo Zamoſcio huic vni, etſi Regi aliquantiſper ob amicitiam Zamoſcij ſuſpecto, ſecundùm mortem illius cura Exercitus demandaretur: plurimùm ea res valuit ad labefactandas partes aduerſæ factionis. nam cùm pleriq; cernerent Zolkieuium non fauere conatibus Palatini Cracouien. facilè ijdem in partes Regias conceſſerunt; Pſtroconio in eam curam incumbente vt quàm plurimos ad rectè de Rege Regijſq; deſtinatis ſentiendum induceret. Præcipuè autem aduerſa factio in inuidiam po-

Pſtroconius Viceccãcellarius mortuo Cancellario, difficilimo regni tempore totam negotiorum molem ſuſtinet.

Zolkieuiũ Regi conciliatum Rokoſſonorum conatibus opponit, & per eos plurimos in Regias partes pertrahit.

406. puliq; odium vocabat Regem, eo quòd ille dissentientibus plerisq; & dissuadentibus Constantiam Caroli Archiducis Austriæ filiam prioris vxoris sororem germanam consortem thori destinaret, ea res aduersa vulgi opinione excipiebatur, pauciq; erant qui sibi id persuaderi paterentur, id, Summo Pontifice annuente & sacris legibus, quibus Rex cùm prioris vxoris sorore matrimonium inire vetabatur, eum soluente, ritè & legitimè fieri posse. Hoc illud aiebant aduersarij eo matrimonio peti, vt Rex illicitis matrimonij pactis initis Regnum Austriacis traderet; multæ sub hoc nomine sparsæ in vulgus opiniones, vanæ licet & nullo nixæ fundamento, apud credulos & in seditionem pronos fidem habebant. Et Rex quidem circa exitum anni, deducentibus in Regnum sponsam Maria matre, Maximiliano fratre Archiducibus Austriæ, Cracouiæ nuptias celebrauit, effecitq; vt sacri simul & secularis Ordinis præcipui quiq; eis interessent, actumq; eum cohonestarent. Cæterùm factio aduersa tantò magis exarsit, non in Regem modò, sed in omnes qui

Quas ob causas Regi ab aduersa parte conflatum odium.

407. Regijs destinatis non aduersati fauere ijs putabantur, præcipua autem inuidiæ flamma hæsit in Pstroconio; ille omnium sermonibus Regiarum nuptiarum conciliator, eorumq; consiliorum, quæ vulgò suspecta erant, author existimabatur. Vidit ille & præuidit, Regiq; ipsi sæpè dixit, ea quæ mox secuta sunt euentura, suasitq; Principi vt aliquantisper opinioni hominum sese accommodaret: sed eò iam

Idem odium deriuatur in Pstroconium, sed falso.

res deuenerat, vt nec Regi ipsi integrum esset resilire ab incæpto, nec dignitate salua poterat rescindere pacta, fidemq; datam Principibus Austriacis, qui duobus Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. suadentibus & annuentibus hanc ipsam Regio matrimonio destinârant: Non est huius loci vt vtilitates huius connubij, Regemque & eos qui hoc consilium probârunt nihil perperam egisse ostēdam, hoc tantùm innuisse sufficerit Pstroconium 408.
nunquam quidem Regi authorem huius nouæ, & vulgò non probatæ affinitatis contrahendæ fuisse, cæterum re perfecta non secus acsi ipse princeps eius consilij esset, ita Regem factumque eius tuendū suscepit, vt grauissimis rationibus ostenderet, non bene eos patriæ consulere, qui Regem & Senatum eò nomine apud imperitum vulgus inuidiâ onerarent. quippè seditionis & intestinæ discordiæ causas ab ijs quæri apparebat. Quod mox innotuit, cùm Palatinus Cracouien. cùm Hæreticis consilia communicare cæpisset, atq; eorum potissimùm fretus potentiâ primò ad Stezicam, mox Lublini conuentum egisset, generalemq; totius nobilitatis conuentum, quem Rocos, petito ab Hungaris gente ad se- 409.
ditionem nata nomine, appellare placuit, ad Sendomiriam priuatus homo priuata authoritate indixisset. Multa hìc commemorare possem proposita à Pstroconio consilia ad eludendos conatus aduersæ factionis prudenter accommodata, sed duo tantùm attingam, quæ salutaria fuisse, & salutem ipsam Re-

Pstroconius tamen partes Regias tuatur strenuè tanquam cōmunem causam.

Rokossanorum conuētus quorū cōsilijs prudenter obuiat Pstroconius.

 gi at-

gi attulisse exitus docuit. Alterum est Zołkieuio reconciliata gratia Principis, eo in aulam dissuadẽtibus plerisq; euocato, quam rem tantâ curâ egit Pstroconius, vt cùm Zołkieuius iam ad Regem proficisceretur, & nescio quis suspicionis scrupulus Regi ab inuidis, & Zołkieuianæ laudis osoribus iniectus esset, persuasumq; vt Rex ad eum mitteret, quo ex itinere domum regrederetur, obstitit constanter Pstroconius, effecitq; vt venientem Rex benignè susciperet, curam publicæ salutis illi demandaret, quam ille fide integra gessit & sustinuit. Alterum est cùm iam Rocosiana factio apertam spiraret rebellionem, atq; in eo res esset, vt Cracouien. Vrbe præsidio firmata, Palatinus Reipub. nomine Regem ingressu eius Vrbis arceret, arcemq; & insignia Regni in potestate sua teneret, quoad Rex obiecta, vt illi dicebant, crimina coram datis à nobilitate arbitris dilueret. Fit de eo consilio certior Rex, cõuocato Senatu proponitur quid in tali casu facto opus sit. Cracouiamne cuius Arx iam modico Palatini præsidio tenebatur, & quam Palatinus ipse mox maioribus copijs ingressurus dicebatur, eundum & præuertenda celeritate hostium consilia, an in Prussiam secedendum quoad Zołkieuius qui in Russia copias agebat cum Exercitu superueniret plerisq; Senatoribus periculi Regis quàm dignitatis maiorem rationem ducentibus, & vt in tutum locũ permissa hosti Cracouia Rex se cum coniuge & liberis reciperet, aut certè Varsauiæ vbi tùm cum aula

erat

erat subsisteret, ne quam occasionem hosti armato sua discessione vel Cracouiæ occupandæ conatu sui violandi præberet suadentibus, è contra Pstroconius grauissimis rationibus concessâ aduersarijs Cracouiâ, actum esse de Rege & Regno ostendit, eundum obuiam hosti & audendum, celeritate tantum opus esse, cætera ac iter ipsum expeditum fore, ciues Cracouienses integra esse erga Regem fide, nec Palatinum ita paratum esse vt Regẽ præuenire possit, & si præueniatur non ausurum eò progredi. Varsauiæ qui subsistendum Regi suaderent, eos longè maiori periculo personam Regiam obnoxiam facere, quid enim non ausuros hostes occupatâ Cracouiâ, fugæ verò & in tutiora loca sese recipiendi consilium longè à dignitate Regia, longè à præsenti rerum statu alienum videri, ad fallendum tamen distinendumq; hostem naues parari placuit, sparso rumore Regem Torunium vel Mariæburgum in Prussiam nauigaturum. In hâc sententiam frustra renitentibus alijs facto Senatus consulto, eâ ipsâ horâ decreta est Cracouiam profectio, eodemq; die susceptum iter, vt aduersa factione nihil minùs quàm eo tempore Regem Cracouiam profecturum suspicante, Rex priùs propè Cracouiam constiterit, quã à Palatino eodem iter intendente id sciri possit, coactusq; sit Palatinus retrocedere reuocato properè ex arce Cracouiensi suo quod isthic erat præsidio ne in potestatem Regis veniret; vtriusq; istius consilij authore Pstroconio suscepti Regem nunquam pænituit

500. Cracouiam Regi in primis occupandam salubriter consulit Pstroconius.

501. Quod proceres in Senatus consulto & exitus impense comprobauit.

nituit, & prudentes rerum æstimatores optimè rebus Regijs ea ratione consultum esse iudicabant, quod & exitus rei probauit. Multa alia referre possem quæ ille Regi vtiliter suasit, erat enim vir perspicacis iudicij & prompti consilij, quod non solùm
502. grauiter proponere, verùm etiam prudenter explicare nouerat. Cancellarius Regni in Comitijs Regni Varsauien. Anno 1606. renunciatus, collegãq; in eo munere sortitus Stanislaum Minski ex Palatino Lancicien. Procancellarium Regni à Rege creatum, summam tamen consilij ipse tenuit, quod Procancellarius inuidiam apertè subterfugeret, neque earum actionum quæ Magistratum eum gerentibus pro salute Principis intrepidè suscipiendæ erant, partem aliquam capessere vellet. Itaque Pstroconius, & ea ipsa Comitia & Visliciensem Conuentum, quem Regiarum partium Duces, Rocosiano apud Pokriwnicam acto opposuerat, & cui Rex ipse vniuerso ferè Senatu sibi adsistente præerat, ablegato ad Rocosianos Procancellario, & mox eodem graui morbo oppresso solus obiuit, omniaq; Cancellarij munia sustinuit: soluto eo conuentu quod Rocosiani graues & iniustas, Regi & ijs qui cum Rege erant conditiones ferrent, motis contra eos copijs ad Ianouecium ventum est, vbi Palatino Cracouien. & Ianussio Radiuilo qui Exercitui Rocosiano præerant, vel captis vel deditis, vel vt ipsi aiebant sponte iudicio Senatus sese permittentibus, cùm non deessent qui suaderent authores seditionis

Pstrokonski Cancellarius Regni.

vel necan-

vel necandos, vel in vinculis retinendos, hic quoq; 503.
mitioris sententiæ author fuit Pstroconius negans
per leges Regni licere in ciues ordinario iudicio nō-
dum iudicatos animaduertere, maioremq; motum
excitatum iri, si illi licet id meriti, opinione tamen
vulgi insontes existimati, vel morte punirentur, vel
contumeliâ afficerentur, diem potiùs illis dicendā
vt in proximis Comitijs se sisterent, causamq; exci-
tati tumultus dicerent. Ita illi tùm sponsione data
dimissi, cùm non seruata fide iterum armis & non
iure se tuerentur, neq; vocati ad Comitia venire vel-
lent, non deerant qui lenta Pstroconij consilia accu-
sarent, sed illi semper constitit ratio dati consilij.

Eius cōtra reos Rokosſanos mitior proposita sententia

Secuta sunt postea Comitia anno 1607. Varsauiæ 504.
indicta, armata illa & turbulenta, cum Castris quo-
rum præsidio tuto negocia publica tractarentur, ad
Vrbem admotis, tertio inde milliario hostium ca-
stra abessent, & inter militarem strepitum armorūq;
vim consilia expedirentur. Actum est cum Rocosi-
anis vt ab armis discederent, atq; arbitrio Senatus,
& totius Reipub. se causamq; suam permitterent,
sancitæ plurimæ leges ad stabiliendas Nobilitatis li-
bertates circumscribendumq; Regium imperium
pertinentes, satisfactum magna ex parte populi de-
siderio & minùs æquæ flagitationi. Rex ipse quò
suum pacis cupidum animum cunctis declararet, ni-
hil se non facturum quòd concordi omnium senten-
tia à se postularetur testatus est, & fecit pleraq; fe-
cissetq; multò plura, nisi ortà inter Ordines Regni

Cum Rokossanis primò pacatis consilijs actum.

de rebus controuersis disceptatione, mutuis altercationibus Comitiorum tempus extractum fuisset. Postremò cùm nullis omninò rationibus Rocosiani vt pacatè se gererent, ab armis discederent, causam suam iudicio Ordinum Regni permitterent adduci possent, cùm persuasiones amicorum & principum Senatus qui ad illos Regis permissu sæpè commeabant, cum Regis & totius Reipub. authoritatem contemnerent, factum Senatus consultum, vt nisi intra certum diem arma deponerent, eo loco quo hostes patriæ haberentur, & vi atq; Exercitu ad officium reducerentur: Neq; tamen his illi territi rem pene dictu incredibilem ausi non plures quâm duo Palatini, Nicolaus Zebrzidowski Cracouien. & Ianussius Grudzinski Rauensis, ac Castellanus Parnauien. Petrus Staborowski, isq; nondum eò sacramento quò Senatores Regi & Reipub. obligantur obstrictus, nec pleni iuris Senator, pauci præterea ex Equestri Ordine, Regi Regnum publicè proposito edicto abrogârunt, iustitium indixerunt, interregnum promulgârunt. Erat Regia causa potior & iure, & viribus maioribus nitebatur, stabat á partè illiùs & Comitiorum consensus, & vniuersus Senatus, & exercitus robur. Aduersariorum è contra omnis in eò spes, militem Regium contra ciues arma non stricturum, faciliùs eum seditionem moturum, quàm causam Regiam armis defensurum. Nec temerè ea orta erat fiducia, nam plerosq; è Regio Exercitu ea opinione imbuerant Rocosiani quasi illi

pro libertate niterentur, hi qui cùm Rege stabant, eandem oppugnatum irent, itaq; & in Castris præsente Rege variæ voces audiebantur, & postmodũ cùm Rocosiani primi versus Cracouiam castra mouissent, Rexq; cùm Exercitu eos secutus, & apud Varcam oppidum assecutus fuisset, complures militum turmæ iussæ cùm hoste manus conserere imperium abnuerunt. & nisi arte Zolkieuij, seueraq; in paucos seditionis authores animaduersione, exercitus exactis proditoribus purgatus fuisset, nescio an non summo gentis nostræ dedecore, Regis eorumq; qui Regias partes sequebantur causa prodita fuisset. Nec apud Vranscum ea alacritate animorum á Regijs militibus excepta pugna trepidatumq; & magna confusione res acta, ducibus ipsis qui bello præerant, præerant autem Carolus Chodkieuicius dextro, Stanislaus Zolkieuius sinistro exercitus cornui, non satis inter se concordibus, ita vt Rex ipse in summo periculo versaretur, & fuga passim conturbatis ordinibus fieret. Insperata ea res accidit nobis, qui cùm Pstroconio non longè à Prætoria Regia cohorte inermes substiteramus, visaque res proditioni similis, idq; veritus Pstroconius adacto calcaribus equo ad Regem contendit, præfatus se cùm Rege omnem fortunæ sortem excepturum, nec aliam salutis viam quæsiturum, conspicatusq; vnum & alterùm vexillum fugientium, vexilliferos præhendi iubet, atq; penè inuitos & metu conterritos sua authoritate é fuga retrahit, atq; ad Regem, qui

505. Armis tandem decertatum est.

506. Quæ circa conflictum egerit Pstroconius.

cæteris metu turbatis & varia ſuadentibus imperterrito animi Regij vigore nunquam loco moueri potuit, adducit. Mirati ſunt qui præſentes erant Epiſcopi animi magnitudinem, tantò magis quòd nonnulli qui in ipſiùs comitatu erant, non verbis magis quàm exemplo fugam ſuaderent, eamq́; de-

507. *Victoria penes Regẽ ſtetit.* ſerto Epiſcopo turpiter capeſſerent. Multa prætere alibi dicenda vel dicta. Victoria Regi obtigit, pauci ex hoſtibus ceciderunt, ſparſi reliqui quò quemq́; ſors tulit abierunt, cæſi in acie vt terræ mandarentur, ea verò prima Pſtroconio cura fuit, vt vulneratis medici adhiberentur, vt moribundis Sacerdotes adeſſent eiuſdem ſumma ſollicitudo, nec vllũ inter hoſtes & ſuos diſcrimẽ, pari omnes affectu complexus vtriſq; ſimul quantum res & tempus patiebatur conſultum eſſe cupiebat, me inter alios paterno imperio coëgit, vt partem curæ eorum qui è vita excedebant capeſſerem, eoſq; ſacra exhomologeſi expiatos ad mortem Chriſtiano ritu obeundam præpararem: feci id non inuitus cùm alij deeſſent,

Sauciorum & cæſorũ in pugna, pia & accurata Pſtroconij cura.

508. qui id munus obirent. Victis prælio aduerſarijs deliberabatur quâ pænâ ij afficiendi eſſent, qui in acie contra Regem ſteterant, Rege optimo annuente & ſuadente Pſtroconio in neminem ſæuitum quos fortuna belli ſeruauit, nulli bona adempta, manſêre omnes incolumes etiam ij qui proditionis & initæ cùm Gabriele Batthoreo Principe Tranſiluaniæ, de tradendo illi Regno conſpirationis rei conuicti ſũt. quorum vnus Ioannes Felix Herbortus clara, & il-

Pſtroconio ſuaſore in neminem rebellium ſæuitum.

Illustri ortus familia, eruditionis & eloquentiæ opi-
nione tumens, leuis idem & ob egestatem ad sediti-
ones resque nouandas pronus captus, cùm literis
proprijs conuinceretur perniciosa in Regem & Rē-
pub. cum Batthoreo consilia agitasse, iam iam capi- 509.
tali supplicio vniuersi Senatus sententiâ addicēdus, Nullius ciuium extra
Pstroconij qui extra aciem nullius ciuis sanguinem pugnam sāguinem fū-
esse fundendum multis ijsq; efficacibus semper vrsit dendum, prudēs cō-
argumentis, sententiâ seruatus est, & post sponsio- silium Pstroconij.
ne data dimissus. Reliquis etiam rebellibus vt Rex
veniam daret, ac clementiâ potius quam seueriori
animaduersione Rempub. pacaret, facilè benignissi-
mo Principi persuasit, itaq; Senatu quoq; vniuerso
in eam adducto sententiam, agente potissimùm
Zolkieuio, qui quòd sororem vxoris Palatini Cra-
couien. in matrimonio haberet, sanguinisq; arcta
coniūctio inter mutuos eorum liberos intercederet,
indoluisse vices Palatini, & illi iam facti pænitenti
postremò fauisse putabatur, conditiones quibus Pa-
latinus in Regis gratiam admitteretur, præscriptæ
sunt. Vocatisq; ad Regem Cracouiæ eo tempore
aduersa valetudine laborantem Senatoribus Regni
& Magni Ducatus Lithuaniæ postquam aliquantis-
per disceptatum esset, inter eos qui maiorem Regiæ 600.
dignitatis rationem habendam, & eos qui nonnihil Pax inter Regem &
Palatino quoq; indulgendum censebant, ad extre- Rokossanos
mum venit ipse Palatinus, verbisq; præscriptis præ- Pstroconio
teritorum veniam à Rege petijt, pariterq; conceptis in primis laborāte sta-
scripto orationibus Pstroconius nomine Regio, & tuta.

Ioannes Zamoyski Archiepiſcopus Leopolienſis;
601. pro Senatu illi reſponderunt, ita tùm pax coijt, &
Reſpub. priſtinæ tranquillitati reſtituta eſt. Hæc
anno 1608. Menſe Maio acta, cuius etiam anni ini-
tio Bernardus Macieiowski Sac. R. Eccleſiæ Cardi-
nalis Archiepiſcopus Gneſnenſis ceſſit è vita vir pi-
etate inſignis, genus illi clarum & illuſtre, quippe
nepos fratris Samuelis Macieiouij Epiſcopi Craco-
uienſis, qui Sigiſmundo Primo, & poſt Auguſto e-
ius filio regnante Princeps Senatus habitus Regni
Vicecancellarius fuit, primis ætatis annis ſub Rege
Stephano militiam profeſſus, aulici comitatus Ve-
xilifer ſumma cum laude munus id ſuſtinuit, mox
abiecto balteo militari ſacris initiatus atq; Romam
profectus, totum ſe Eccleſiaſticis inſtitutis imbuen-
dum impendit, cunctis ob vitæ integrè actæ ſancti-
tatiſq; conſtantem opinionem amabilis, primò Epi-
ſcopus Luceorienſis renunciatus, mox legatione
Regis Sigiſmundi nomine apud Sixtum V. Sũmum
Pontificem functus, cùm magnum ſibi in Romana
Curia affabilitate & comitate amorem conciliaſſet,
ſecundùm mortem Georgij Cardinalis Radiuili qui
in Vrbe vitâ functus eſt, Clemente VIII. Summo
Pontifice Regi eum impenſe commendante, Epiſco-
patum Cracouienſem adeptus, mox ab eodem Pon-
tifice in numerum Sacræ Rom. Eccleſiæ Cardinali-
um relatus, poſtremò mortuo Ioanne Tarnouio
Archiepiſcopus Gneſnenſis factus minùs biennio ei
ſedi præfuit. Extremis vitæ annis ſimultas ei cum

Mors pia Cardinalis Maćieiouij eiuſq; res in vita geſtæ.

Rege

Rege intercesserat, fauisse Rocosianorum conatibus 602.
putabatur. Sed nos ad nostra, Alberto Baranouio
ex Episcopatu Vladislauien. Gnesnam Regia desi-
gnatione translato, Regia item voluntate Episco-
patus Vladislauien. Pstroconio delatus est, quem
dignitatis Ecclesiasticæ locum adeptus, iam in por-
tu res suas collocatas existimabat. Nihil igitur nisi
quod ad functionem eam ritè obeundam pertineret
mente voluens, totus eò propendebat, vt quam pri-
mùm Supremi Cancellarij munus deponeret, publi- 603.
carumq; rerum abdictâ curâ Episcopi officio funge-
retur. Ergo Comitijs Varsauiæ anno 1609. Men-
se Ianuario indictis, cùm Regem Volborij, oppidum
id Episcopi Vladislauien. Cracouiâ Varsauiam pro-
ficiscentem conuiuio excepisset, vix dum rectè in-
choatis Comitijs institit apud Regem vt quàm
primùm sibi Magistratu abire liceret, quod cum vix
tandem obtinuisset, in hospitium reuersus veluti
diu desiderata quiete parta, mirificè lætatus est, im-
mensas Diuinæ Maiestati agens gratias, quod in tã-
ta negociorum mole sustinẽda singulari ope sibi ad-
fuisset. quòd enim tanto ponderi non succubuisset,
quòd Magistratum eum difficillimo Reipub. tem-
pore ita gessisset, vt nec inuidi, nec inimici quidquã
haberent quod criminarentur, soli Deo acceptum
ferebat. Vna res erat, quæ animum ipsius magno-
pere sollicitum habebat, dati erant authoritate Co-
mitiorum è Senatu & Equestri Ordine qui statum
Ducalis Prussiæ inspicerent, formulam regiminis
præscri-

Pstroconio Episcopatus Kuiauiensis delatus.

Cancellarij munus deponit Pstroconius.

præſcriberent, & Alberto Brandeburgico, qui eò quod motæ mentis eſſet curatore egebat, curatorem Ioannem Sigiſmundum Electorem Brandeburgenſem à Rege & Repub. datum, certis præſcriptis conditionibus in poſſeſſionem eius curatelæ immitterent, ac nouo ſacramento prouinciam illam Regi & Reipub. obſtringerent, inter eos quibus hoc negocium tractandum commiſſum, erat princeps erat Pſtroconius, eum vehementer torquebat cura ſuſcepti iſtius negocij, nam inprimis ad officium ſuum pertinere iudicabat omni ſtudio promouere in Ducatu Pruſſiæ iam dudum pulſam iſthinc & eliminatam religionem Catholicam, id ſi impenſius vrgeret, verebatur ne acriùs obnitentibus Hæreticis, ſtatus illius prouinciæ perturbaretur, omniſq; in eum culpa infecti negocij recideret, non poterat autem vllã iuſtam Regi adferre cauſam, quò illo annuente ſibi liceret domi manere, quamobrem me alijſq; præſentibus, ſæpe Deum præcatus eſt, vt ſi minùs fructuoſa & ſalutaris Eccleſiæ ac patriæ hæc ſua legatio futura eſſet, ſe vel morbo impediret, vel ſi ita diuinæ Maieſtati viſum foret, è vita tolleret. voti vt mox videbimus compotem fecit Deus. Cracouiam ad Regem venerat accepturus mandata ſecundum quorum præſcriptum Pruſſicum negotium tractari debuerat. ſacro Paraſceues die Rege templa Chriſtiano ritu religioſe obeunte, cum in deducendo & manu ſuſtinendo Rege aliquantiſper feſſus eſſet, altera die leuiori febri correptus non ſatis curato morbo

604. Pruſſiam Ducalem ex Regis ac Ordinum ſententia inſpicere & Curatori fatui Principis conditiones ex ſenatus conſulto præſcribere iuſſus.

605. Morbo interripitur.

morbo Cracouiâ discessit, Volboriam properans isthic valetudini recuperandæ Medicorum operâ adhibitâ aliquantum temporis impensurus, sed & Volboriæ tanta negociorum moles eum circumstetit, vt non modò Medicis, vacare non potuerit, sed & ad necessariam etiam quietem sumendam non satis temporis ei suppeteret, crebrò eum interpellantibus amicis, quibus tantùm indulgebat, vt sibi non parceret. Sed non solùm Volborij, verùm & in itinere deinceps Vladislauiam versùs suscepto exiguam habuit valetudinis curam, quòd nimiùm fideret viribus suis, seq; non facilè morbo deijci posse existimaret. In Coualiensi primùm oppido quòd vicinum est Vladislauiæ sensit se iterum tẽtari morbo, die decima sexta Maij Ecclesiam suam Vladislauien. ingressurus, multos Proceres eius Prouinciæ obuiam sibi progressos magna animi hilaritate excepit complexusq; est. dies erat nimio solis calore feruida, tot autem viris nobilibus qui honoris causâ obuiam prodierunt Episcopum salutântibus necesse erat quemlibet eorum excipere, dicentem, audire detecto capite, ita incaluit corpus itinere alijsque curis, & ipsa suscipiendi Episcopalis oneris meditatione fessum, peractis tamen, ingressus ad Ecclesiam cæremonijs, finitisq; salutationibus deductus ad arcem, multa illustrium virorum frequentiâ mẽsæ assedit, & vix gustato cibo, quasi telo aliquo ictus subitò se proripuit, secuti sumus abeuntem, ille verò eo morbo lætus, hoc illud est inquit quod in

606. In suo in Episcopatum atq; in Ecclesiam suã Vladislauien. ingressu morbus inualescit.

ipſo tanti honoris ingreſſu mihi euenire oportuit, ne nimiùm me extollerem, leui plaga me diuina manus tetigit. Febricula erat leuior, quàm vt aliquod periculum ab ea timeri potuerit, & quæ intra vnius horæ decurſum deferbuit, ſed poſtridie totum corpus flaua bile perfuſum ictericio ſiue Regio morbo cum affectum eſſe oſtendit. Aduocati Medici venam ſecuerunt, fluxit ater & aduſtus ſanguis, ſignaque futuri & diuturni morbi apparuerunt, ac Medicis ſeriam affectæ morbo valetudinis curam ſuadẽtibus, ille inprimis de ſalute animæ ſollicitus Con-

607. feſſarium Præsbyterum è Societate IESV qui tum Torunenſis Collegij Rector erat Corczeuium accerſit, huic humiliter geſta totius ſuæ vitæ fatetur, veniam delictorum poſcit, mox ritu Catholico expiatus me accerſito quaſi iam iam moriturus tabulas ſupremæ voluntatis conficit. Mirabamur hominẽ vt nobis videbatur ſatis valentem, nec vi morbi deiectum, in continua verſari cogitatione mortis, animo quidem intrepido, & quaſi magnum quid ag-

Curam valetudinis ſuadentibus medicis & amicis, curam animæ potiorem habet Pſtroconius.

608. gredi geſtiente, ſollicito. Teſtamento legitimè cõdito, omnibuſq; rite diſpoſitis, ſacriſq; more Catholico expiatus, tùm demum accerſitis Medicis, curandum ſe illis permiſit, lenta erat vis morbi, cuius cauſſa obſtructio venarum meſſaraicarum à diuturno tempore contracta, nec enim ille niſi morbo vrgente medicinis vti conſueuerat, nimiâ quadam ſuæ valetudinis fiduciâ alios etiam irridere ſolitus, qui cùm rectè valerent, medicos nihilominus ad cu-

Teſtamento condito & procurata anima curationẽ valetudinis tum demũ medicis permittit.

ram

ram corporis adhiberent. Ego morbi caussam ad curas & sollicitudines angoresq; animi, quos in gerēdo magistratu toto fere Vicecācellariatus & Cancellariatus tempore, sine collega, sine vllo leuamento, solus tantum onus sustinens pertulerat, retulerim. Medicis igitur manum admouentibus tantum abfuit, vt morbi vis decederet, vt etiam maiora incrementa sumeret, per sex continuas septimanas decubuit, hoc temporis interstitio bis recidiua febri tentatus, eaq; facilè leuatus non remisit animum à publicis curis, ac inprimis quotidie ferè sacrificium incruentum offerens, immensam lachrymarum vim profundebat, omnes qui adire ipsum vellent, facillimè admittebat, causis iudicandis aliquoties præsedit, de statu Ecclesiæ subditorumq; sollicitus, & cùm vt dixi in cogitatione perpetua mortis esset, quasi tamen vitæ certus, ad extremum eius exitum nullam muneris sui functionem intermisit. Cùm tertia iam hebdomada morbi præterijsset, rati Medici loci mutatione morbum decessurum suaserunt vt Raciązum (arx est Episcopalis amæno admodum loco sita, quatuor miliaribus Vladislauiá distans) proficisceretur, fecit id ille libenter, nihil tamen ea migratione effectum, idem morbus, eadem illius vis manebat, & vt dixi maiora in dies incrementa sumebat. Non possum silentio præterire insigne Pstroconij pietatis studium, quod in hoc itinere exhibuit. Templum erat Raciąsi à Rozrazouio magnis impensis inchoatum, & ferè iam perfectum

609. Morbi caussa & occasio.

700. Auræ mutationem frustra captant in eo sanando Medici.

701. Raciazi Templum

Infirmus instaurari curat.

fectum, deerant turres, altaria, fenestræ, id à suc-
cessoribus Rozrazouij Tarnouio, Tylicio, & Bara-
nouio neglectum pecoraq; in loco sacro (nam eius
templi in veteris Ecclesiæ loco posuerat fundamen-
ta Rozrazeuius) stabulari, ossa humana diruto os-
sario, à canibus & feris dilacerari & dispergi ita in-
doluit Pstroconius, vt lachrymas tenere non potu-
erit, è vestigio igitur iubet purgare locum, fores ad
portas aptare, ossarium nouum condendis fidelium
ossibus construere, vitreas fenestras conficere, quæ
omnia summa celeritate, illo instante & perurgente
perfecta sunt, & si diuturnior vita illi obtigisset,
haud dubium quin illa ipsa æstate totius fabricæ o-
pus perfectum reddidisset, sed eius rei laus reserua-
batur eius successori, Laurentio Gembicio, qui pa-
702. ri tactus pietate, simul ac Episcopatum cæpit, finem

Febri maligna corripitur.

huic operi imposuit. Morbo in dies crescente, ac-
cessit postremò febris, quam, vt est, malignam Me-
dici vocant, ac insuper triduo ante mortem apo-
sthema dextram faciei partem, ac fauces ipsas occu-
pauit. Nulla iam spes erat salutis, & Medicis tacē-
tibus ipse viribus se destitui animaduertens, nihil
territus suprema necessitate, ad mortem constanter
& piè obeundam se præparabat, sermo nullus nisi
de rebus diuinis, de cælesti illa patria, de diuina er-
ga genus humanum clementia, quotidie sacrum
Missæ officium, cùm iam destitutus viribus ipse sa-
cris operari non posset, audiuit deuotè & religiose,
petitas ex sacris Psalmis sententias frequēter in ore
habebat.

habebat. Aſperſiſti me, inquit, Domine hyſopo (bilem enim quæ morbo cauſſam dederat hyſopo comparabat) & mundabor: lauabis me & ſuper niuem dealbabor, & Bonum mihi Domine, quia humiliaſti me, itemq́ Paratum cor meum Deus, ac Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus. Die Principibus Apoſtolorum, Petro 703.
& Paulo ſacra illi ſuprema, mane veſtes popoſcit, veſtitus (tantum adhuc illi virium ſupererat) ad altare quod in vicino cubiculo parabatur ſe deduci iubet, ibi proſtratus Miſſæ Sacrificium Patre Simone Doleſcio è Societate IESV ſacra peragente audit, ſacraq́ Sinaxi refectus, vegetior quodam modo redit ad lectum, non dubitabat ſe eo die moriturum, nam & triduo antè quæſierat ex me quàm cito ventura eſſet dies Apoſtolis ſacra, cumq; ego tertio ab hinc die venturam eam reſpondiſſem conticuit, deniq; cibum cùm eo die caperet, cui inquit vſui cibus 704.
iſte, cùm anima alio egeat, cumq; frigore pedes ipſius rigeſcentes attrectarem, ne mireris inquit, iam inde anima ſe ſubduxit, & per partes morior. Hæc lætus & quaſi iocanti ſimilis, cum verò mors inſtaret, aliquantiſper commotus, facie non nihil perturbata, Coram Iudice meo inquit mox compariturus, hac vel maximè vrgeor formidine, viximus in aula, Magiſtratus geſſimus, non ſemper in hominibus negocijſq́ tractandis & expediendis æquabilem modum tenere potuimus, interdum non eâ quâ par erat intentione ad altare acceſſimus. Tum ego:

Die vitæ ſuæ ſuprema ad ſacellum perducitur & Miſſæ ſacrificio deuote intereſt & SS. Euchariſtia reficitur.

Diem ſui obitus præſciuit.

 Si quid

705. Si quid tale est, quo ex ea occasione grauari suam
Ad Vicinā mortem (quod piorum est) trepidat.
conscientiam sentit, nunc doleat. Doleò, inquit, ex animo doleo. Assurgere volenti porreximus manus, ego autem monui Confessarium, vt ita affecto cæteris abire iussis consilium daret, & indulgentiam largiretur, fecit id ille, mox iussu Pstroconij, vniuersâ aduocatâ familiâ, adsint inquit, omnes ac videant me morientem, iam hilarior, iam totus in oratione defixus, sacrum Oleum Christiano ritu extremò vngendus adferri iubet, aderant complures Præsbyteri & religiosi viri, orantibus illis & sacras Lithanias recitantibus, ille cùm reliqui ora pro eo dicerent, ora pro me ingeminabat. Hoc Sacramento munitus constanti vultu, intrepido animo præstolabatur mortem, & cum iam vox deficeret, orsus Dominicam Orationem, quamuis sub-

706. missa voce, ita tamen vt à nobis qui aurem ori eius
Intermortuis vocibus Orationem Dominicam recitat, & in verbis Aue Maria, placidè moritur.
admoueramus intelligi posset, in his verbis, AVE MARIA, creatori suo spiritum reddidit, adeo placidè & sine aliquo corporis motu, vt somnum cæpisse potius, quam mortuus esse existimari potuerit. Coluerat ille peculiari ritu Beatissimam Virginem, atq; ab eo tempore ex quo Præsbyteri Ordinem suscepit, omni Sabbatho votiuo Sacrificio Reginam cæli venerabatur, nec dubito quin præsentem in ipso mortis certamine eam salutauerit, nec temere factum crediderim, vt in hac voce AVE MARIA expiraret. Multa alia pietatis officia ab eo vsurpata, quæ hic paucis perstringam testimonio

esse possunt, quantopere ille Dei & proximi amo- 707.
re flagrauerit. Summum erat in eo vitæ ab omni il- Puritatis
lecebra carnali conseruandæ studium, omnes mirum in
suspiciones turpitudinis, omnes familiaritates tota vita stu
quæ statum eius non decerent vitabat, nullum vn- dium.
quam verbum ex ore eius prodijt, quod castas aures offenderet, quodue ruborem mouere posset, si quid tale ab alijs diceretur, aures oculosq; auertebat, vt
quantum à rerum turpitudine abesset, tantum se ab 708.
obscænitate verborum alienum ostenderet. Cre- Pœnitentiæ
bra ieiunia, castigationes spontaneæ corporis, alia- & mortifi-
que ad domandam carnem pertinentia in vsu habe- cationis
bat. Ieiunium Aduentus Domini solenne statumq; cultor egre
illi erat. Curã pauperum gerere, Nosodochia Xe- gius.
nodochiaq; inuisere sæpissimè solebat, nec pecuniam modò sed spiritualem etiam Eleemosinam lar-
giebatur exhortando pauperes, ad ferendas æquo 709.
animo ægritudines, reliquasq; vitæ inopis molesti- Inopum pe
as, incitando eos ad pietatis studium, perquirendo culiaris cu-
de statu eorum, de ratione victûs. In Eleæmosinis ra & ratio.
largiendis, plus quam facultates suæ paterentur, sine vllo prorsus rei priuatæ respectu planè liberaliter profusus, dumq; eo nomine à domesticis admoneretur, Dominus prouidebit, respondebat. In quo genere quid aliquando illi acciderit Ecclesias Diœcesis suæ perlustranti, paucis referam. In pago Cracouecio ditionis Alexandri Ducis Ostrogiæ, templum erat Catholicum quod idem Dux Græco Schismati addictus, in Ruthenum ritum transtulerat, sed

eo vita

800. eo vitâ functo vxor illius fæmina religiosissima iterum illud Catholicis restituerat, Romanæ religionis dato Sacerdote, is omnium rerum egens, cum quibus templum illud recens restitutum indigeret, Episcopo explicasset, ille non subducta ratione pecuniæ quantam tunc haberet, iubet numerare centum florenos, in subsidium Ecclesiæ impendendos. Dissuadenti fratri meo Mathia Lubienski eo tempore Canonico Gnesnen. nunc Præposito Miechouien. qui & Cancellarius illius erat, & priuatas eius rationes tractabat, ostendentiq; quantum adhuc in perlustranda Diœcesi itineris & sumptuum faciendum esset, & quam exigua summa pecuniæ quadringenti erant circiter floreni, Episcopo superesset, ac proinde differri oportere petitionem Parochi, dum domum Episcopus rediret. Assensit ille quidem idque ægrè, cæterum comminatus est, breui euenturum, vt illum ipsum sui consilij pæniteret, dicto euentus respondit, nam sequenti nocte arculam, in qua & Episcopi & fratris mei pecunia erat fur abstulit. quod vt intellexit Episcopus, ne minimum quidem iactura rei permotus, nimiam tantum erogandi in pios vsus parsimoniam eo furto castigatam esse professus, vt quam primùm domo pecunia in subsidium Ecclesiæ promissa mitteretur, mandauit.

Insignia circa liberalitatem in pauperes quædam in eo exempla

801. Erga inimicos & inuidos beneuolentissimus, iniuriarum quarumcunq; patientissimus, non modò lædentibus non nocere, sed etiam humanitate & beneficijs eos sibi deuincire studebat. In grauissimis quibusq;

Mira in eo mansuetudo & animi tranquillitas.

quibusq; periculis singularem quandam animi tranquillitatem retinebat, vultusq; ipsa serenitate alijs metum demebat, illud vsurpans: Animus bonus in re mala dimidium mali, quod quantopere bina Regiæ Maiestatis in Sueciam profectione, & domestico ad Guzouium conflictu præstiterit, supra attigimus. Nulla re aduersa magnopere tristabatur, sinistri euentus nuncium pia illa oratione, Sit nomen Domini benedictum, excipere solitus. Inter priuata pietatis exercitia solenne illi erat, qualibet media nocte surgere ad confitendum nomini Domini, & nemine conscio in genua prouolui, ac deuotissimè aliquot orationes quas pij viri eiaculatorias vocãt, ex intimo cordis affectu ad Deum profundere. Quotidie totâ conuocatâ familiâ sacras Lithanias recitari curabat, vesperi & mane sacris meditationibus aliquantum temporis semper impendebat, religiosos cætus summo amore prosequebatur, è quibus Patres Carmelitanos excalceatos sanctissimi instituti homines ex Italia euocatos suâ operâ & impensa Cracouiæ collocauit, quos etiam factus Episcopus Vladislauiensis ad Ecclesiam suam Cathedralem adducere omnino constituerat, si quando post exantlatos labores animum releuare vellet, in aliquod Cænobium secedebat non vt otio tempus consumeret, sed vt pia de rebus diuinis cogitatione & sacra cum viris religiosis conuersatione se recrearet. Bina votiua sacrificia qualibet hebdomada

802. Pius erga religiosos ordines affectus.

803. Consueta deuotionis

ac pietatis illi exercitia. Feria Tertia de SS. Trinitate, Sabbatho vt dixi de Beatissima Dei Genitrice, per se ipse deuotissimè peragebat, si quando aduersa valetudine impediretur per alium sacerdotem (quod tamen rarò accidit) id fieri curabat, & quoad per negocia licuit profestis etiam diebus, festis verò omnibus Sacrosanctum Missæ sacrificium cum summa deuotione, & lachrymarum profusione offerebat. Has omnes pias deuotiones, ita lõga exercitatione & continuo vsu in consuetudinem adduxerat, vt quo minùs ijs statis horis & temporibus vacaret, neq; summis difficultatibus, neq; negotiosi Magistratus curis, nec

804. Corporis habitudo & animæ dotes. deniq; angustiâ temporis prohiberi vnquam potuerit. Corpus illi firmum & ferendis laboribus idoneum, statura iustè quadratâ, raro capillo vestitæ genæ, vt propior imberbi esset. vox sonora, oratio in qua magis inuentio & iudicium quàm elocutio eniteret, Senatoria prorsus, grauis, docta, & quæ pondere sententiarum magis quám verborum lenocinio commendata, in aures auditorum influeret. Memoria excellenti pollebat, ita vt omnia quæ audisset legissetue retineret, itaq; sermo illius plenus erat notitia antiquitatis, in causis cognoscendis acre & perspicax illius erat iudicium, non tamen temerarium vel arrogans, placidè vt aliorum sententias exquireret, & nonnisi vltro citroq; explicatis rationibus causam definiret. Gestis tot Magistratibus, gratia etiam Regia florens, nullas reliquit opes,

pes, vix distracta etiam supellectili eo mortuo æs a-
lienum solutum est, cum alias non indiligens rerum
suarum haberetur, sed idem abstinens, & ab omni
illicito munere accipiendo alienus cum esset, priua-
tasq; facultates, non eas quæ gerendis difficillimo
Regis & Reipub. tempore Magistratibus sufficerent
haberet, sumptu censum superante abundare non
poterat, quotiescunq; tamen opus erat splendidè &
magnificè vel in excipiendis tractandisq; exteris ho-
minibus, vel in obeundis negotijs in quibus digni-
tatis Regiæ & magistratus quem sustinebat, ratio
habenda erat, comparebat. Excessit è vita III.
Calend. Iulij. Anno à restaurata salute humana su-
pra Millesimum Sexcentesimum Nono, ætatis suæ
Anno Quinquagesimo Sexto. Vladislauiæ in Ec-
clesiæ Cathedralis sacello à Ioanne Tarnouio Ar-
chiepiscopo Gnesnensi extructo & exornato se-
pultus. Felicem illum dixerim morte sua, qui fun-
ctus tot Magistratibus, gesta summa cum laude Re-
pub. eaq; post Rocosianas seditiones pacatâ & pace
florente, multa ea quæ mox subsecuta sunt mala,
non viderit. Felix es Pstroconi, qui iam pietati tuæ
debito frueris præmio, de nobis & patria, de qua
semper bene mereri studueras, vel nunc etiam sol-
licitus, nec enim ambigimus te cernere, cum in con-
spectu illius sis, qui omnia videt & præuidet, qui-
bus iactemur procellis, quanta amatæ à te patriæ
immineant pericula, quibus Ecclesia Dei oppugne-

805. Inter tot quæstuosos magistratus, nullas congessit opes.

806. In Vladislauien Ecclesia Episcopali sepelitur.

 tur ma-

tur machinis. Nos hæc quæ ſcripſimus, tuæ memoriæ dicamus ſacramuſque, erit hoc qualecunque meæ erga nomen tuum obſeruantiæ monumentum, & grati acceptorumq́ue à te beneficiorum memoris animi non vulgare argumentum.



INDEX

Eorum quæ in vtroque opere continentur.

Numerus verò appositus non paginam, sed marginalem notam indicat.

A

Clerici

D

E

Episcopus

INDEX.

Fridericus

In delin-

K

L

M

N

Mira

P

Q

R

Repul-

S

S. Nila-

T

Tarnoui-

V

Z

VARSAVIÆ,

In Officinâ Ioannis Rossowski, S. R. M. Typogra[…]
Anno Domini M. DC. XXX.

De ortu vita et morte
Matthiae de Buzenin Pstrokoń-
ski, primum praemislensis,
deinde
Regni supremi cancelarii et epi-
skopi Vladislaviensis.

Varsaviae.

In officina Joannis Rossowski S.R.M. Typ.
1630.
8°   84 str. — 9 k. n.
A_3-A_3 — 0

Broszura
Uwaga: Oprawiona razem z dziełem
p. t.: „Monita de recte
gerendo episcopatu.

De ortu, vita et morte
Matthiae de Buzenin Pstrokonski,
primum praemislensis,
deinde
Regni supremi cancelarii et epi-
scopi vladislaviensis.

Varsaviae.

In officina Joannis Rossowski S.R.M. Typ.
1630
8° 84 sk. – 9 k. n.
$A_3 - A_3$ – 0
Broszura.
Uwagi: Złączona razem z dziełem
p. t.: „Monita de recte gerendo
Episcopatu".